Bignasi


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
11 H
6



Author legitimus Consobrino
Suo R. P. Claudio Clement
frater Simplicianus Gody
amicitiæ Symbolum d. d. d.
1642

AD DISSERTATIONEM NVPER EVVLGATAM DE DVOBVS DIONYSIIS,



RESPONSIO.

In quâ euidentissimè demonstratur vnum & eundem esse Dionysium Areopagitam & Parisiensem Episcopum.

Authore D. GERMANO MILLET,
Monacho Congregationis S. Benedicti,
aliàs Cluniacensis & S. Mauri,
ordinis eiusdem S. Benedicti.





PARISIIS,
Apud DIONYSIVM BECHET, viâ
Iacobæâ, sub scuto Solari.

M. DC. XLII.
Cum Approbatione.

Author legitimus Consobrino
Suo R. P. Claudio Clement
frater Simplicianus Gody
amicitiæ Symbolum d.d.d.
1642

AD DISSERTATIONEM NVPER EVVLGATAM DE DVOBVS DIONYSIIS,



RESPONSIO.

In quâ euidentiſſimè demonſtratur vnum & eundem eſſe Dionyſium Areopagitam & Pariſienſem Epiſcopum.

Authore D. GERMANO MILLET,
Monacho Congregationis S. Benedicti,
aliàs Cluniacenſis & S. Mauri,
ordinis eiuſdem S. Benedicti.





PARISIIS,
Apud DIONYSIVM BECHET, viâ
Iacobæâ, ſub ſcuto Solari.

M. DC. XLII.
Cum Approbatione.



SANCTISSIMO GALLIARVM APOSTOLO DIONYSIO.




METVERET *Gallia non immeritò,* DIONYSI MAGNE, *Si non eundem Te, quem olim coleret ingrata, quo Defensore tam diu nihil metuit: Sed verò magis gratulabitur sibi Gallia, cuius tam altè sensibus infusus es, vt nec mutare Te aliquando, nec mutari se vnquam velit. Te Solem ignorent suum, qui palpant meridie: & conten-*



tiosè diſceptent, qui Patronum aut habent nullum, aut non ſuum. Veritatem iam olim complexos de Te appellent patronos fabularum: & pleno tanquam theatro plaudant ſibi ipſi de commentis exſibilatis, de exſpiſcatâ veritate, de Traditione fortiter vindicatâ, de Dionyſio ad Græciam legitimè relegato. Nihil mouemur, nihil indignamur, nihil metuimus: accuſantibus, qui ſtudio turbant; & qui accuſant, iudicãtibus. Nam tempus, & ratio, et veritas oppugnarj poßint, expugnari non poſſunt. Neque verò Galliam tuam propterea ſuſpicione ingratæ mentis perſtringimus de contentione pauculorũ, qui Te minimè agnoſcunt.

Erit tua Gallia, quæ ſemper: immò tui, qui numquam: quoniam & illa Te, & Tu hos communi ſtudio bonus amplecteris. Dignare igitur oculis tuis, fauore tuo, caritate tuâ opellam hanc noſtram, DIONYSI MAGNE; *Et quia rej ſiſtimur, & vim faciunt Nomini tuo, qui volunt aſſertores illius exiſtimari: Tu iã olim Iudex iudica cauſam tuã. Atque ſic eos affice, qui præſumptam in hoc ſuo conatu veritatem oſtentant, vt appictam à ſe laruam eidem veritati & intelligant, & amoueant.*





LECTORI.

ETSI fateor Aduerſarij diſſertantis eam eſſe de eruditione famam, vt poſſe quatere videatur quod inueterauit in opinione populorum, ſi ipſe contrà contenderit; & illuſtrare quod obſcurum eſt, ſi lucem ingenij ſui affuderit; Et eruere quod arcanum & latens, ſi veſtigauerit. Tamen exturbare quod ſoliđißimè ſtat, & extorquere quod firmiùs, quàm ab Hercule tenetur claua, nec vereor ne poßit, nec dubito. Dionyſium, inquam, Attico-gallicum loco mouere & amandare à ſedibus ſuis, tam non patitur veritas, cui nulla eſt ſecum rixa; quàm æquitas, quæ ſuum cuique manere vult. Et hic Terminus eſt: nulli cedit. Quare ſecuri

respondemus ad Dissertationem literatissimi illius virj, Deo benè iuuante, magno Galliarum Apostolo (corruget narem, qui grauiter accipit) & ipsa veritate, cui reuerà studium, curamque addicimus. Neque præteribimus intereà quæ ab aliis Aduersariis Dissertatoris suffragatoribus non mediocris alioqui doctrinæ viris, hinc inde opposita sunt nostræ sententiæ: sed ea, prout opportunum videbitur, refellemus ac dissoluemus. Quod vt cum voluptate animi tui, Lector, & ex votis tuis explanatè procedat, difficile factu est, opinor: eo quòd cursum argumentorum per singula capita irrumpat multa illa varietas ratiuncularum, quæ objectantur passim, & quibus, ne quicquam dissimulare videremur, respondendum esse putauimus. Huic porrò aliquantulæ confusionis incommodo remedium allaturum est postremum caput, siue Epilogus istius opusculi, quò te mittimus: illic plusculùm prolixitatis apud pruden-

tiam tuam, si seriò veritatem amas, excusantes. Etiam & breuitatem fortasse quereris, si necessitatem, si momentum, si difficultatem rei pensitaueris. Atque hic vtemur moderatiore stylo, quàm Aduersarij, ne non veritatis, aut Dionysij nostri, sed iniuriæ nostræ vindices videamur: & non imparem nihilominùs fiduciam afferemus, ne causæ præiudicium sit ipsa timiditas positæ supra omnem aleam Defensionis.

NOS ſubſignati Doctores Facultatis Theologiæ Pariſienſis fidem facimus vidiſſe, attentè legiſſe, & approbaſſe librum cui titulus eſt, *Ad Diſſertationem nuper euulgatam de duobus Dionyſiis, Reſponſio. Authore Domno Germano Millet, Monacho Benedictino*; In quo plurima ſcitu digna, & omnia fidei publicæ & veritati conſona deprehendimus. Quare ad vtilitatem publicam, & honorem Regni futurum cenſuimus, ſi prælo mandaretur. Datum die tertiâ menſis Ianuarij, anni Domini milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi ſecundi.


FR. OVRRY.

F. C. DE LA HAYE.
Prior Monaſterij noui.



RATER Gregorius Tarrisse, humilis Superior Generalis Congregationis Sancti Benedicti, aliàs Cluniacensis & S· Mauri, Ordinis eiusdem S. Benedicti, librum, cui titulus est, *Ad Dissertationem nuper euulgatam de duobus Dionysiis, Responsio. Authore Domno Germano Millet*, Monacho eiusdem Ordinis & Congregationis, à nonnullis dictæ Congregationis nostræ Theologis nostro iussu examinatum & laudatum, typis mandari, pręmissà Doctorum Approbatione, permittimus. Datum Parisiis, sub nostro manuali signo, die primâ Decembris anni millesimi sexcentesimi quadragesimi primi.

GREGORIVS TARRISSE.



INDEX.

ERRATA.

Paginâ 153. *lineâ* 8. *lege Martyrologium.*
Pag. 166. *lin.* 3. *lege Aurelio.*
Pag. 174. *lin. vlt. adde, instante persecutione, ex eodem Gregorio, quod notandum.*
Pag. 181. *lin.* 14. *lege Crescens à Paulo.*
Pag. 184. *lin.* 5. *lege persuadere.*
Pag. 191. *lin.* 16. *lege ordinari præcepit.*





AD

PRAEFATIONEM DISSERTATIONIS

Responsio.



VOD primùm ait aduersarius futuros esse, qui Galliæ parum illum fauere dicant, addendum fuerat, Ecclesiæ, & veritati. Galliæ quidem, quam Apostolo suo tanto vellet esse orbatam; Ecclesiæ verò, cuius receptissimam doctrinam in hac parte, authoritatem, traditionem oppugnat; veritati denique, quam cùm statuere videri vult, quibus potest machinis & artibus arietat, euertit. Itaque cùm

inquit mereri nos malè de Ecclesiâ & Galliâ, quoniam Dionysium Atheniensem cum Parisiensi confundimus: perorat ab exordio. Sanè multò peiùs merentur, qui duos faciunt ex vno Dionysios; tum enim necesse est deferri honorem alterutri, qui nunquam fuit. Nam vnum prætermittere, parum gratæ memoriæ videri posset: sed vnum, qui nunquam fuerit, commentari & inducere, superstitiosum esse nemo est qui neget. Quod hic de Parisijs dixit, nescimus quò pertineat. Deinde vaticinatur, & promittit sibi multorum à veritate, vt putat, errantium reuersionem: ac tum bonus auceps benè allicit, exemplo videlicet adducto cuiusdam innominati, quanquam laudati hominis, qui duos ex vno Dionysios tandem sit confessus: quis inuideat, si veritatem inuenit? quis non indoleat, si decep-

tus est? Scio quosdam, nec miror, vel audito tantùm nomine dissertantis, ad opinionem hanc recenter excitatam deflexisse; & ex titulo dissertationis eius continuò de nobis pronunciasse, non expensis, non intelle-ctis, imò nunquam lectis rationibus nostris. Quid enim? Doctorum sententia est, inquiunt. Itane veritas iudicio vnius oppignerata, & sciolorum natio de vnius voce, tanquam de Tripode & oraculo erudita eatenus est, vt ad illiteratorum gregem atque vulgum descendere habeat, quisquis non ad eorum sectam transierit? Certè dubitatum est aliquando de nostro Dionysio; fueritne Areopagita, an minimè, & à quibusdam etiam verè doctis viris, fateor; Discussa res est iam olim à grauissimis sanctissimisque scriptoribus; & veritas, refutatis ijs quæ opponebantur, cum appro-

batione totius Orbis octo sæcula integra stetit, nemine contrà mutiente; quia nulla ratio, vel authoritas emergebat, quæ aliquid auderet. Hęc ætas denuò pugnat tamen, & litigat: perinde quasi cuique reuera litigando iura crescant. Verùm vt nostra sententia nunquam exploratiorem certitudinem habuit, quæ tanta est, quanta quæ maxima: ita ab aduersarijs, seu verè sint docti, vt quidam sunt, credo, seu blandiantur sibi de vsurpato nomine doctorum, nunquam infirmiùs contra nos pugnatum fuit, nunquam fraudulentiùs. Produnt infirmitatem conuitia & calumniæ, quibus vtuntur defectu argumentorum: fraudem aperiunt dissimulatæ nostræ authoritates multæ, quibus respondere nunquam potuerunt. Vnde nonnullos reperias, qui dicant, haberi longè validiora his,

quæ ſparſa ſunt negligenter in hac diſſertatione, cui reſpondemus; voluiſſe diſſertantem quaſi rorarios mittere, qui prouocarent ad legitimam dimicationem: ſtare apud illum totas rationum copias, quas cùm opus erit, effundet. Nos verò ſtato gradu opperiemur. Interim diſſertationis iſtius vires, quàm ſint reuera imbecillæ, quàm nihil ipſa contineat aut non refutatum multoties, aut certè refutatione minimè dignum, videamus.



AD

CAPVT I. DISSERTATIONIS

CVIVS EST INSCRIPTIO,

Dionyſium Pariſienſem, Dionyſio Areopagitâ poſteriorem fuiſſe probatur ex Sulpitio Seuero: cuius verba dum eludere conantur aduerſarij, ſecum ipſi pugnant, & cum ſacrâ ſcripturâ,

RESPONSIO.

§. I.

INGENIOSVM ſanè diſſertationis exordium. Erat nempè Seuerus imprimis extollendus, è cuius eruditione & fide præcipua victoriæ pars pendere videbatur. Quamobrem vt illi adderetur au-

thoritatis pondus, *Rerum nostrarum autorem peritissimum*, iam in primâ disputationis fronte video appellari. Scripsit omnino Seuerus Martiniana quædam gesta, Epistolas, Dialogos de Monachis exteris, & historiæ breuiarium quoddam Ecclesiasticæ, vbi vix quicquam reperias nostrarum, seu Gallicarum rerum. Hæc autem qui fecerit vtcumque, an eum rerum nostrarum autorem peritissimum diceres, nisi fragilitati argumentorum tuorum hoc primo artificio consultum esse voluisses?

§. II.

SEd verò sit peritissimorum vertex vt vt cautè legendus ex animaduersionibus Bellarmini Sulpitius: nunquam profectò falsi à nobis accusatum legisti (vt asseris) quem

nullo incommodo explicauimus. Quòd si explicatio non placet (placuit autem vel alijs aduersarijs nostræ sententiæ) refutatum diximus autoritatibus non paucis, quibus adiecimus Innocentij primi verba, dicentis, esse *Manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam & Siciliam, insulasque interiacentes nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes.* Quibus ex verbis concludimus, Legatos à Pontificibus Romanis in Galliam anteriores esse debuisse Polycarpi* discipulis Lugdunum demandatis, qui quidem primam fidei lucem non eò loci deuexerint, sed iam acceptam à Trophimo, Crescente, Paulo, Martiale, Memmio, aliisque viris Apostolicis, per Lugdunensem Galliam dilatauerint. Enimuerò si Photinus

& Irenæus Celtarum Ecclesias primi fundârunt, & Thyrsus, Andochius, Benignus & Andeolus Polycarpi discipuli non parum Christianam fidem latè illic promouerunt, quî verum erit Petrum & successores eius omnium Ecclesiarum Galliæ per se, aut per suos Legatos fuisse fundatores, vt asserit Sanctus ille Pontifex? Adde Petrum ex allatis Innocentij verbis, aliquos delegasse, qui Christianam fidem prædicauerint: alioqui reuera nominasset Petrum in suis literis otiosè: Quônam igitur, amabo, demandauit? dices, in Siciliam. Cur verò non in Galliam? Seuerus, inquies, reclamat: At contra Seuerum affirmat Eusebius Seuero antiquior, Clemens, & alij, vt mox dicemus.

§. III.

POstea obtrudere nos ait aduersarius eiusmodi testes, de quibus non minor sit, quàm de Dionysio controuersia. Nempè hoc dicendum erat illi, vt eluderet: sed probandum, vt euinceret. *Sed de his postea viderimus*, inquit. Hoc est decernere poterit, ni fallor. Quo verbo si libellum aliquem nouum continuò cudendum intelligit, nescio: scio interim nihil in eius dissertatione de illis memoratum. Quæ Tullianæ sunt technæ iam obsoletæ. Promittebat euersurum se postea, quod inexpugnabile sentiens, prætermittebat.

§. IV.

IAm autem quid sibi vult illa tanquam facilè vincentis insultatio?

Nunc hominum acumen (inquit) *& cautionem desidero, qui non sentiant, dum Seuerum temerè insectantur, in seipsos imprudenter incurrere. Quid enim agis, vindex gloriæ Gallicanæ, an scopulum in quem impingis, non vides?* Heu inopinatum naufragium! Serióne obiicis tanquam immanem scopulum Apostoli Galliarum nomen, quod nos ex superiorum ætatum consensione atque vsu attribuimus Dionysio? Non est reuera, non est importuosus hic, vt credidisti, locus. Vnde neque acumen erat aut cautio valdè desideranda, vt vitaretur. Videbis, si lubet, ad responsionem capitis noni quàm propriè, & ex meritis nomen Apostoli magno Dionysio debeatur.

§. V.

DEnique posteaquàm ad Apostoli nomen, tanquam ad sco-

pulum impacti visi sumus, monemur esse in salebris omni scopulo peioribus: vbi videlicet Massilienses diximus sub annum Christi trigesimum quintum fidei lumen accepisse. Verùm defendere possumus traditionem illam non magno negotio, & saluâ scripturâ expedire nos ab illis salebris, quas placuit aduersario comminisci. Nam quis ignorat Iudæos toto Orbe dispersos etiam & Massiliæ, quæ tùm erat florentissima Græcorum colonia, & quam Tacitus *Sedem ac Magistram studiorum* vocat, inueniri potuisse à Lazaro & Maximino? His autem per biennium verbum Dei annunciatum fuerit. Tùm anno trigesimo septimo, quo fundata est Ecclesia Antiochena, & apertum gentibus ad fidem ostium, prædicti viri totâ Prouinciâ verbum salutis disseminarint. Quid salebrarum in

iſtis? quid quod ſubuertat literas ſacras? Sed fac Iudæos Maſſiliæ fuiſſe nullos, quod non eſt veriſimile, quid prohibet quominùs credam Euangelium eſſe annunciatum iis populis priuatâ prædicatione? Certè Chriſtus diſertè præceperat Euangelium annunciari omni creaturæ, & doceri omnes gentes. Et publicè quidem non fiebat, dum repellentibus obſtinatè verbum Dei Iudæis, oſtium gentibus ſine offenſione fidelium Hebræorum patefieret. Recipiebantur tamen ex Græcis, ſeu Gentibus, qui ſe offerebant, vt multis argumentis probat Cornelius veſter, ideo præ cæteris à me citatus, quia veſter. Hunc autem ſacrarum literarum ſubuerſorem veſtrûm nemo, opinor, hactenus appellauit.

§. VI.

CONcludit aduersarius; & nominatis multis Martyribus Marci Aurelij principatu posterioribus, nullum superiorem infert reperiri. Probat. Seuerus dixit. Ita nimirum hunc delectat eamdem tundere incudem, & strepitu terrere velle, quos ferire non potest. Hoc igitur capite, vt inscriptioni eius satisfieret, tria cum primis præstanda erant, anteaquàm de præsumptâ nostri conuictione aduersarius exultaret.

§. VII.

PRimum, erat explicatio sententiæ Sulpitij, quam vel ipsi quidam ex aduersarijs afferunt, refutanda. Alioqui frustra citatur aduersum

nos. *Licèt illa antiquitas luce clarior mihi non appareat* (inquit illorum vnus, lib. 1. historiarum, numero 36.) *tamen martyrio Lugdunensium Christi fidem in Gallijs priorem fuisse, ferè pro comperto habeo: neque ideo Seueri authoritatem eleuatam existimo. Ille breuiori scribendi modo minùs dixit, quàm sensit, & serò susceptam religionem, ac tum primùm visa martyria scribens, non ideo tamen fidem priùs prædicatam fuisse negauit. Illustria, & in omnium oculis martyria intellexit, quæ demum sub Aurelio Galliarum conspectui exhiberi cœperunt, susceptâ iam Christi religione. Nam antea & rara, & quasi propter commune impietatis crimen illata Christianis supplicia, nondum à populis religione susceptâ. Verùm vbi prædicatâ latè per Gallias fide, Christi nomen notius esse cœpit, Christianorum multitudine ad martyrium accurrente; tum primùm eorum damnatio Gal-*

lijs spectaculo esse, & cuilibet illorũ martyria cognita. Hanc Seueri fuisse mentẽ quis negabit, si Photini longam ætatem, Iusti & Veri Viennensium tempora repetat; si Eutropium Sanctonum Episcopum à Clemente missum fuisse, Tolosam Saturninum, Biturigas Vrsinum à discipulis Apostolorum accepisse apud Gregorium Turonensem legat? Hæc ille seuerissimus longè censor historiarum pro Seuero, pro nostrâ sententiâ, pro veritate.

§. VIII.

SEcundum, positâ refutatione eius explicationis, quam ex erudito viro dedimus, stabilienda validiùs erat illa Seueri sententia, vt staret. Vnius enim scriptoris, & quem sola penè vetustas commendat, parum valet authoritas aduersus traditionem

tionem vel vnius Ecclesiæ particularis: quantò igitur minùs contra vniuersum totius Ecclesiæ sensum, & innumeras omnium ætatum authoritates? Horum autem nihil præstitum est ab aduersario, quia nihil esse præsens potuit, quod iuuaret.

§. IX.

TErtium, conuellere, si fieri potuisset, debebat, quæ maturiorem in Galliâ fidei lucem testantur copiosè: non autem ex testimoniis à nobis luculenter allatis prauè quædam referre, infirmiora diligere, & ne aspicere quidem fortiora. Sunt autem ea, ni fallor, tabulæ Viennensis Ecclesiæ, eiusque de Crescente traditio constantissima, quam corroborat summorum Pontificum authoritas, Pauli primi scribentis ad Caro-

lum Magnum, iam coronatum & vnctum à Stephano, etiam viuente Pipino patre, ne hic litem moueat quisquam. In cuius rescripto, ita de Viennensi Ecclesiâ loquitur, apud Ioannem à Bosco in suâ vet. Biblioth. Floriac. *Conspiciat ergo sapientia vestra, quam altè de priuilegijs prædecessorum nostrorum hæc eadem Ecclesia adornata floruerit: quam semper & venerabilem tenuerunt, & de munere Apostolico venerabiliter extulerunt. Quæ Apostolorum Collegam Crescentem magistrum habere meruit, & de integritate fidei gloriari.* Item Paschalis primi, cuius hæc sunt verba ad Bernardum Archipræsulem Viennensem, Apud eundem Ioannem à Bosco. *Ipsum igitur* (vsum pallij) *tibi, Viennensique tuæ Ecclesiæ, vtpote ab eisdem Apostolis fundatæ maiorum more libenter indulsimus.*

Et ne antiquiora desint, quibus ip-

sa Seueri authoritas debeat sine controuersiâ cedere: Eusebium habemus ita dicentem lib. 3. Eccles. hist. c. 4. Τῶν δὲ λοιπῶν ἀκολούθων τοῦ Παύλου, Κρήσκης μὲν ἐπὶ τὰς Γαλλίας στειλάμενος ὑπ' αὐτοῦ μαρτυρεῖται, Id est, *inter alios Pauli discipulos, Crescens ab ipso missus in Gallias dicitur.* Prout etiam Rufinus vertit eundem Eusebij locum. *Memoratur,* inquit, *ex comitibus Pauli Crescens quidam ad Gallias esse profectus. Linus verò & Clemens in vrbe Româ Ecclesiæ præfuisse.* Hęc tam in impressis, quàm manuscriptis vetustissimis Bibliothecæ Corbeianæ codicibus. Ruffinum autem certè Paulino iudice æstimamus; & illi Seuerus, si quid boni habet, acceptum, saltem ex parte, referre ex eodem Paulino, debet, vt est verisimile, ex epist. 9. eiusdem sancti Antistitis, qui Seuero promittit daturum se operam, vt illi

adesse velit Ruffinus in suis conscribendis historiis.

Habemus deinde Epiphanium, qui dicat hæresi 51. Κρήσκης; φησὶν, ἐν τῇ Γαλλίᾳ, οὐ γὰρ ἐν τῇ Γαλατίᾳ ὥς τινες πλανηθέντες νομίζουσιν, ἀλλὰ ἐν Γαλλίᾳ, hoc est, *Crescens* (inquit) *in Galliâ: non enim in Galatiâ legendum est, vt malè quidam existimant, sed in Galliâ.*

Habemus denique Sophronium, Chronicum Adonis, & Alexandrinum, & Roberti Antissiodorensis, & concordia Martyrologia, Romanum, Bedæ, Vsuardi, & Adonis. Item traditionem, ac tabulas Moguntinensis Ecclesiæ ab eodem Crescente Pauli discipulo institutæ. In hac autem sede Viennensi Zacharias, qui Crescenti successit, ante tempora Antoninorum, nempè sub Traiano martyrium fecit, vt Ado in Chronico, & Beda, & Romanum

Martyrologium testantur. Ado quidé his verbis, *sub quo imperatore* (Trajano) *gloriosissimus senex Zacharias Viennensis Ecclesiæ Episcopus martyrio coronatur. Nam primus Crescens discipulus Apostolorum Viennæ aliquot annis resedit.* Beda verò 7. *Calend. Jun. Viennæ, passio S. Zachariæ secundi eiusdem vrbis Episcopi.* Romanũ tandem Martyrologium 7. *Calend.* Iun. *Viennæ, S. Zachariæ Episcopi & Martyris, qui sub Trajano passus est.* Num & hæc tria testimonia certè amplissima Sulpitiano iaculo configes? Vsque eò parum viderunt Ado Viennensis in propriis rebus, Ecclesia Romana in communibus, Beda denique, vt præ Seueri perfunctoriâ sententiâ nihili fiant, & errare dicantur? Sed alia me vocant.

Sunt deinde in iis, quæ excutere habebat aduersarius Sulpitium op-



ponens, Trophimus Arelatensis, ac Paulus Narbonensis, de quibus capite sequenti.

Est Clemens primus Metensium Episcopus à Petro missus, ex Paulo Diacono, grauissimo quondam scriptore, libro de ordine Episcoporum Metensium, vbi sic non parum sustinet traditiones nostras. *Eâ tempestate,* inquit, *cùm apud Galliam Belgicam Mediomatricum, quæ etiam Metis appellatur, ciuitas in ipsâ Mosellæ amnis ripâ posita, copiosis populorum turbis abundaret, ad eamdem B. Petrus Apostolus vrbem, Clementem nomine, virum egregium, ac meritis probatum, sublimatum Pontificali dignitate direxit: cum quo pariter sicut antiqua tradit relatio, ad eas, quæ præcipuæ erant, Galliarum vrbes verbo fidei obtinendas, alij quoque religiosi Doctores ab eodem Apostolorum principe missi sunt.* Audis ex antiquâ tra-

ditione legatos ab ipſo Petro fidei Doctores in Galliam?

Denique adde Clementis Romani Apoſtolorum diſcipuli multò euidentiſſimum teſtimonium, quo vel vno tota Seueri authoritas tanquam fulgurita euaneſcit. Ait igitur in Epiſtolâ ad Iacobum fratrem Domini primâ. *Vos autem per veſtras diœceſes Epiſcopos ſacrate & mittite; quia nos ad alias partes, quod idem Petrus iuſsit, agere curabimus. Aliquos verò ad Gallias, Hiſpaniaſque mittemus* (ſeu *mittimus*, ex impreſſis codicibus Pariſijs an. 1504.) *& quoſdam ad Germaniam & Italiam, atque ad reliquas gentes dirigere cupimus.* Hanc autem Epiſtolam citat & laudat Concilium Vaſenſe habitum anno 442. Can. 6. his verbis, *Ex Epiſtolâ S. Clementis vtilia quæque, præſenti tempore Eccleſijs neceſſaria, ſunt honorificè proferenda, &*

cum reuerentiâ ab omnibus fidelibus, ac præcipuè Clericis, *percipienda. Ex quibus, quod specialiter placuit, propter venerandam antiquitatem statutis præsentibus roboramus.* Citant eandem Epistolam Leo nonus, Epistolâ 4. quæ est ad Petrum & Ioannem Episcopos, & Yuo, parte decimâ quartâ cap. 22. & multi alij tanquam legitimam, & veneratione dignissimam.

Hæc, inquam, vniuersa, cum iis, quæ subijciemus Dissertationis Epilogo, si subuertisset aduersarius, & melioribus antiquiorum Scriptorum testimoniis falsa esse demonstrauisset, (quod frustra tentauerit) nullâ egeret apud nos explicatione Seuerus.

§. X.

IN hiſtoriâ quò ſuperiores, eò grauiores habentur, & certiores qui ſcribunt, niſi aliundè conſtet de infirmitate teſtimonij antecedentium authorum. Quis igitur Seueri vnius verbum tot antiquioribus, & certè multò grauioribus teſtimoniis anteponat? Quis acceleratam fidei prædicationem in Galliâ non videat, ac ſtatim nonnullorum Martyrum excitata trophæa, ſi minimè iniquus eſt hiſtoriæ arbiter? Quis, inquam, non continuò & prædicatam, & ſuſceptam (quod effugium quidam ſibi faciunt, duo illa ſubtiliter diſtinguendo) Religionem Chriſti non fateatur ex tot Euangelij præconibus, & Eccleſiarum fundatoribus, Arelatenſis, Viennenſis, Narbonenſis, Metenſis,

& aliarũ? Existimo sanè, nisi Seuerus explicetur, vti diximus, nihil esse, quod ad sententiam eius nos vel minimâ inclinatione flectere debeat, quo ad epocham illam Martyriorum, quam ponit, & cuius causam ex tardâ fidei receptione assignat, cùm habeamus authorem grauissimum, & æqualem illius, qui scripserit motam esse per vniuersas imperij Romani prouincias persecutionem à Nerone. Orosius est, qui de Nerone loquens lib. 7. historiarum. *Primus*, inquit, *Romæ Christianos supplicijs & mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari persecutione excruciari imperauit.* Cur enim sæuitum in quibusdam prouinciis Romanorum potiùs, quàm in aliis? Cur non in Galliâ, sicut in Asiâ, sub Trajano, ad quem Plinius eius Prouinciæ Præfectus, lib. 10. Ep. 101. de Christianis, *Visa est*

mihi res, inquit, *digna consultatione, maximè propter periclitantium numerum. Multi enim omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusque sexus etiam vocantur in periculum, & vocabuntur. Neque enim ciuitates tantùm, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio peruagata est*, &c. Ad quem Traianus, vt est in Epistolâ 102. *Conquirendi non sunt* (Christiani) *si deferantur & arguantur, puniendi sunt*, &c. Positis igitur Christianis in Galliâ, vt ex Clemente primo, Eusebio, & Epiphanio manifestum est; & positâ iussione Neronis nimirum in eos sæuiendi, vt Orosius docuit, quis dubitet & in Galliâ persecutionem excitatam? aut sanè cur excepta Gallia? aut si excepta, cur Orosius minimè excepit, cùm & Gallia de præcipuis esset prouinciis, & penè altera Italia, & exactus omnino scriptor de nonnullis dicere, quod de

omnibus memorauit, veriùs potuisset, ac debuisset?

Hæc autem vniuersa aduersarij nostri furtim prætereuntes, si quid è diuerticulo, vel haud tantæ certitudinis inter certissima forte coniectum est, cò se totos conuertunt, & facilè triumphant: sed inani certè iactatione & fastu, vt iam ex hac primâ responsione non obscurum est. Seuerum autem hic dimittimus cum grauissimâ docti Pithæi animaduersione, in præfatione ad Saluianum. *Quid est, quæso, quod Galliæ cæteris Orbis regionibus inuideant?* (inquit) *Scripserit vtique Sulpitius trans Alpes Dei religionem seriùs visam: Ecclesiarum tamen in Celtis apud Irenæum mentio, atque ille ipse iam noster factus Irenæus, & Vetij Epagathi, Martyrumque Lugdunensium celebratissimæ etiam apud Græcos memoriæ; quos iam tum progressus sacro-*

sancta fides apud nos fecisset, satis ostendunt. Suffragatur nobis & hic vir sine controuersiâ minimè vulgaris, cui detrahere nemo audeat variæ eruditionis

Hærentem capiti multâ cum laude coronam.



AD

CAPVT II. DISSERTATIONIS CVIVS EST INSCRIPTIO,

Gregorij Turonensis de Dionysio sententia, quòd Decio demum Cæsare in Galliam venerit, asseritur & confirmatur.

RESPONSIO.

§. I.



REGORII Turonensis sententia de aduentu Dionysij & sociorum eius, tam copiosè à nobis, atque à tam multis est refutata, vt mirum sit eam iterum atque iterum ingeri; quanquam minimè asseueranter, vti placuit aduersario, id

rei dixerit ſanctus quidem ille, ſed facilioris fidei ſcriptor, quod à narratione innominati authoris trepidè potius memorauit. Vnde nec illum falſi arguimus, ſed authorem anonymum, quem citat. Et ne aut iniuriam facere videamur ſancto illi viro, aut ne tanquam ad communem locum effugere, dum eius facilitatem, aut hallucinationem ſatis frequétem obijcimus, certè Baronium ſcriptorem modeſtiæ amantiſſimum, ac Sanctorum virorum reuerentiſſimum ſecuti ſumus, qui de dicto Gregorio in ſuis Annalibus, anno Chriſti 109. ita loquitur. *Obſtare videbatur Gregorius, dum ait miſſum Pariſios Dionyſium tempore Decij Imp. quod quidem tam verum eſt, quàm quod ibi aſſerit eiuſdem Decij tempore Trophimum Arelate, Paulum Narbonam, & Martialem item in Gallias amandatos, quos conſtat fuiſſe Apo-*

stolorum discipulos, & Apostolorum temporibus ad prædicandum Euangelium in Gallias esse missos. Sed hæc, sicut alia plura, auctoris simplicitati multa tam facile admittenti donanda sunt. Verùm alia omnino, & minimè leuia, si vera forent, hic nobis opponuntur, quæ singula expendimus, & refellimus.

§. II.

PRimum, *Non fuit* (inquit) *in hac hæresi Gregorius, vt Episcopos in Galliâ his septem antiquiores, nullos fuisse existimaret, quod de illo perperam suspicaris, frustraque vt oppugnes, desudas.* Tum ad marginem notat paginam, in qua ne apicem quidem inueniet, vt nusquam alibi toto libro, quo significemus nostram hanc mentem fuisse, & nostri sudoris occasionem. Sciebamus enimuerò Gregorium

scripsisse

scripsisse in suâ Francorum historiâ lib. 1. cap. 29. quæ sequuntur; *Beatum Irenæum diuersis in suâ carnifex præsentiâ pœnis affectum Christo Domino per martyrium dedicauit. Post hunc & quadraginta octo Martyres passi sunt, ex quibus primum fuisse legimus Vetium Epagatum.* Sciebamus, inquam, ea fuisse à Gregorio scripta: Et quidem παραχρονισμούς; Irenæus enim, quē passum memorat, antea, quàm Athanasenses martyres, palmam emeruit sub Seuero Imperatore; alij verò multis antè annis, sub Marco Aurelio.

Itaque maturiorem in Galliâ Christianæ fidei sementem, quàm dicat præfatus Gregorius, probauimus; & illi Irenæum ipsum, aliosque plures opposuimus hoc argumento, quòd Seueri authoritate (nisi liberiùs explicaretur) posthabitâ, verisimile non esset Fidem in remotioribus Romani

orbis prouinciis diuulgatam esse, non autem in Galliâ; Et quod vero propius nihil videretur, inuectâ Religione in Galliam, quàm Arelatem, Narbonam, & similes primarias Galliarum vrbes minimè fuisse prætermissas: quod apertissimis testimoniis antea confirmaueramus, contra Gregorium, ac deinceps magis & magis eualescet.

§. III.

SEcundum quod videtur obstare ex aduersario, ipsa est sententiæ Gregorianæ artificiosa explicatio, quæ si ex arbitrio impugnantis valet; frustra laboramus, cedimus foro. Et quidem à Gatiano Dissertator incipiens, & Austremonio, rem definit tanquam summo iure; & veram epocham designari & statui vult consensu Ecclesiæ Turonum, & Aruerno-

rum. Quæ tametsi de suis protoepiscopis quod esset verissimum statuerent, nihil tamen incommodarent nostræ de Dionysio sententiæ. Verùm quod multò potentius est, damus propemodùm omnes, non totius Galliæ modò, sed Ecclesiæ vniuersæ de Dionysio tabulas atque sententias: & non accedit aduersarius, neque recipit: quid iniquius? Si nefas est nobis de Gatiani & Austremonij tempore dubitare, quia Turonensis & Aruernensis Ecclesia ita statuit ac definiuit: quo iure fas esse credit, longè plurium Ecclesiarum nostram in sententiam conuenientium authoritatem eleuare, fidem discutere?

§. IV.

DE Saturnino verò asserit veritatem ex eius passionis historiã;

sed quam vitiis & erroribus refertam vel ex eo apparet, quòd ipse Gregorius lib. de miraculis 1. cap. 48. epocham Saturnini ad proxima tempora Apostolorum transfert, cùm ab eorum discipulis ordinatum, ac demandatum in vrbem Tolosanam memorat, his verbis. *Saturninus Martyr ab Apostolorum discipulis ordinatus, in vrbem Tolosatium est directus.* Idem Rabani Martyrologio confirmatur 3. Cal. Decemb. Ex quo saltem vacillare omnino necesse sit totam de ipsomet Saturnino historiam, quam Gregorius allegat. Nam cùm rei cuiusque nisi vna veritas esse non possit, cui credam? Gregorióne vnum ex se dicenti, an oppositum ex aliis eidem memoranti? Adde quę in epilogo dicemus de acceleratâ Fidei promulgatione, aduersus historiam illam Saturnini, vbi contrarium legitur.

§. V.

SEd iam quanam arte Trophimi, Pauli & Martialis antiquam missionem dissimulat aduersarius, ne non fauere ex omni parte videatur mendosæ reuerà narrationi? *De illis vt ostendi*, inquit, *vincere non potes, quin causâ cadas, caue imposterum verba facias: nam si Pauli auditor fuit Trophimus, si de eius fonte, vt videri vis, omnes Galliæ fidei riuulos acceperunt, omnium ille Apostolus fuit, dicique debet, non Dionysius.* Haccine verò inopiâ laboras argumentorum, & silentium nobis impositum satisfuturum putas, vt tibi sine cuiusquam authoritate aut ratione differenti credatur? Esto, Dionysium non appellemus Apostolum; quid obtinueris, te quæso; an reuulseris à suâ sede Trophimum, Paulum,

Martialem? Neutrum reuera futurum est: neque isti de suâ antiquitate deducentur, neque illum honos sui Apostolatus deficiet.

§. V I.

NAm vt hic de Martiali, & Paulo aliquid inseramus. Martialem discipulum Domini dicunt acta illius manuscripta in codice Corbeiensi, & in multis aliis Bibliothecæ Thuanæ, quos vidimus. Idem Innocentius tertius, Synodus Lemouicensis, & Bituricensis, & Ioannes Papa vigesimus dicunt, apud Baronium tom. 9. Idem Petrus Blesensis, sermone tertio de S. Nicolao; idem Robertus Antissiodorensis, in Chronico; idem Ordericus Vitalis, lib. 2. Ecclesiasticæ historiæ. Idem vetus Martyrologium S. Sauini de Leuitaniâ nostri Ordinis,

in agro Tarbellorum, his verbis, *Iunij die 30. in Galliâ, ciuitate Lemouicâ, depoſitio Martialis Epiſcopi & Confeſſoris, qui à Beato Petro Apoſtolo ordinatus eſt, & ab ipſo etiam miſſus prædicare verbum Dei, euerſiſque ſimulachris migrauit à ſæculo.* Ita citat Antonius Dominici I. C. eruditiſſimus vir, in prolegomenis ad librum de S. Capitis Chriſti ſudario.

§ .VII.

PAulum verò Narbonenſem memorāt Martyrologia Vſuardi, & Romanum, tam commune, quàm Roſuueydi, cuius hæc ſunt verba. *Vndecimo Calendas Aprilis, Narbonæ, S. Pauli Epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorum.* Vſuardi verò, *Pridie Idus Decembris, apud Narbonam, natalis S. Pauli Epiſcopi & Confeſſoris, quem Beatus Paulus*

Apostolus ordinatum eidem vrbi destinauit Antistitem,&c. Idem Beda, & Ado in suis Martyrologiis referunt. Item Ado ipse in libello de festiuitatibus Apostolorum idem memorat. Idem Ordericus Vitalis lib. 2. hist. Eccles. confirmat, vbi de Paulo Apostolo loquens, *Paulum discipulum suum*, ait, *Pontificem ordinauit, & eidem vrbi* (Narbonæ) *destinauit; qui multùm in bonis operibus laborans, beato fine vitam consummauit.*

§. VIII.

POstea verò quàm mirâ libertate secundò ludificant lectorem, quando videlicet fingunt fuisse Zozimo Papæ preces oblatas, & suggestum illi quicquam de antiquitate Trophimi, quam ille, non suo sensu, non suo lumine & scientiâ confirma-

uerit, sed Arelatensis Ecclesiæ expositione: quæ tamen haud ita parum valuisset, aut reijcienda fuisset; nisi liberum est reijcere quæcumque certiora, sanctioraque haberi debent: vnde enim cuiusque Ecclesiæ res, nisi è tabulis illius imprimis cognoscendæ sunt? Verùm in hoc negotio preces & suggestiones ab Arelatensium Antistite & Clero nullæ factæ sunt summo Pontifici: integrum fuit, & è certâ scientiâ, & cognitâ legitimè causâ profectum Zosimi iudicium. Sed age, quo pacto contendunt labefactare literarum à Summis Pontificibus causâ discussâ, & certo iudicio scriptarum authoritatem? Si iudicant commentitias esse, quas Zacharias, & Leo dederunt, quorsum illarum meminerunt? An supposititium & vanum pariter Zosimi rescriptum intelligi volunt? Suo tamen id olim

iudicio probarunt, cùm dederunt in publicum. *Seu veræ, seu fictæ sint*, inquiunt, *Pontificum Epistolæ, rerum, quas narrant, fidem certam non faciunt.* Sanè, nec illi, opinor, neque alij quiuis non affecti iudicij præsument impetraturos se fidem certiorem, quàm dicta, scriptaue summorum Pontificum. Cedendum saltem authoritati, antiquitati, sanctitati. Si vel vnius rescripti eiusmodi apice totæ illorum dissertatiunculæ niterentur, eo spiritu, credo, eâ despicientiâ rationum nostrarum triumpharent, quâ nemo vnquam confidentiùs, gloriosiùs. Conueniant conscientiam suam; & patiantur, vt nos eorum libertati saltem non timidè, occurramus, magnæ alioqui doctrinæ, atque ætatis reuerentes.

His itaque monumentis Trophimum probamus discipulum fuisse

Apostolorum. Primùm ex Epistolâ primâ S. Zozimi Papæ ad Episcopos Galliæ datâ, anno Domini 417. in qua dicitur, *Sane quoniam Metropolitanæ Arelatensium vrbi vetus priuilegium minimè derogandum est, ad quam primùm ex hac sede Trophimus summus Antistes, ex cuius fonte totæ Galliæ fidei riuulos acceperunt, directus est, &c.* Erant autem hæc priuilegia eius Ecclesiæ, vt qui Romam irent è Galliâ, formatas acciperent à Metropolitano Arelatensi. Deinde, vt Metropolitanus Arelatensis Episcopos ordinaret per prouinciam Viennensem, & per vtramque Narbonensem. Denique iubebat summus Pontifex, vt Ecclesiæ Arelatensi suæ parochię restituerentur. In eâ porrò Epistolâ tria maximè notanda sunt, Primum, vetus appellari priuilegium; ne quis continuò nouitatem obijciat. Secun-

dum, contemplatione Apostolatus Beati Trophimi, concessa fuisse priuilegia. Tertium, per omnem Galliam fidei Christianæ riuos ab eiusdem viri Apostolici fontibus fuisse ductos. Non igitur à Photino, vel Irenæo. Non igitur post annum 252. vt historia Saturnini denarrat. Neque verò solitariam hanc Epistolam Zozimi habemus, quæ Trophimum primo sæculo statuat venisse in Galliam: quâ tamen pessum iret necessariò & Seueri & Gregorij Turonensis authoritas, & nostra de Dionysio sententia nihil inde moueretur. Est prætereа libellus Episcoporum Prouinciæ S. Leoni Papæ oblatus, anno 450. vbi dicitur, *Omnibus Gallicanis regionibus notum est, sed nec sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatensis ciuitas missum à Beatissimo Petro*

Apoſtolo S. Trophimum habere meruit ſacerdotem, & exinde alijs paulatim regionibus Galliarum bonum fidei & religionis infuſum, &c. Quibus Leo reſpondens, allegationem antiquitatis confirmat his verbis, *Conſequens fuit, vt ad conſeruandam intra Viennenſem & Arelatenſem prouincias, pacem, adhiberetur iuſtitiæ moderatio, quæ nec antiquitatis vſum, nec deſideria veſtra negligeret.* Ac de Leonis epiſtolâ etiam Symmachus ad Epiſcopos Galliæ ſcribens mentionem facit. Quæ iam verſantur omnia in omnium manibus, & ante aliquot annos inter Concilia antiqua Galliæ tomo 1. publicata ſunt.

Ad hæc Martyrologia omnia, Bedæ, Vſuardi, Adonis & Romanum habemus idem teſtantia. Vnius Vſuardi textum proferam, *Quarto Calend. Ianuarij, apud Arelatem, Natale*

sancti Trophimi, cuius meminit Paulus scribens ad Timotheum, qui ab eodem Episcopus ordinatus, præfatæ vrbi primus, ob Christi Euangelium prædicandum, directus est. Hoc ipsum memorat Ado, in libello de festiuitatibus Apostolorum; & seu idem Ado, seu alius in Chronico. Denique Cypriani Epistola 13. aut ex Pamelij recensione 67. ad Stephanum Papam, ita exturbat opinionem Gregorij Tur. vt mirum sit reuera nondum errorem illius satis quibusdam apparere. Scripta est Epistola Cypriani anno 258. quo Marcianus Arelatensi Ecclesiæ præsidebat, ait autem: *Faustinus collega noster, Lugduni consistens (frater charissime) semel, atque iterum mihi scripsit significans ea, quæ etiam vobis scio vtique nunciata, tam ab eo, quàm à cæteris Coëpiscopis nostris in eâdem prouinciâ constitutis, quòd Marcianus Arelate consistens No-*

uatiano ſe coniunxerit, (deinde infrà) *Quapropter facere te oportet, pleniſsimas literas ad Coëpiſcopos noſtros in Gallijs conſtitutos; ne vltra Marcianum peruicacem & ſuperbum, & diuinæ pietatis, ac fraternæ ſalutis inimicum Collegio noſtro inſultare patiantur, quòd necdum videatur à nobis abſtentus, qui iam pridem iactat, & prædicat, quòd Nouatiano ſtudens, & eius peruicaciam ſequens, à communione ſe noſtrâ ſegregauerit.* Quis igitur Trophimum credat miſſum eſſe anno 252. Quis non videat apertiſſimè iam olim fundatam Arelatenſem Eccleſiam cum multis aliis eius prouinciæ; non autem à ſex annis tantùm? Marcianus ſextus, aut quod probabilius eſt, ex recenſione Petri Saxij in ſuo Arelatenſi Pontificio, duodecimus numeratur; qui iam pridem peruicax, & Nouatiani partes amplexus, ab communione aliorum

Episcoporum discesserat: Ad æquiorem mentem aduersarij nostri reuertantur, & iudicent, vtrùm hæc vniuersa, Episcoporum videlicet quinque sibi succedentium ætates; S. Trophimi, Reguli, Felicissimi, Crescentini, & Iratij: ex Galliâ Christianâ Roberti: seu ex Petro Saxio, S. Trophimi, Dionysij, Reguli, Felicissimi, Gratij, Ambrosij, Martini, Ingenui, Augustini, Hieronymi & Sauitij: Marciani deinde tam diuersa vitæ & morum conditio; eius admonitio, incorrecta pertinacia, literę vltro citroque ex diuersis mundi partibus datæ; hæc, inquam, vtrum sex annorum spatio comprehendi possint, videant.

Iam verò anteaquàm Trophimum relinquamus, quem Paulo Narbonensi, & Crescenti Episcopo Viennensium præposuimus, licèt ij dicantur Pauli discipuli, atque ab eo dati Viennen-

Viennenſibus & Narbonenſibus: explanemus, quantùm fieri poteſt, hanc minimam ſalebram. Trophimum priùs inſtitutum, quàm Creſcentem, aut Paulum, docemur ex epiſtolâ ſecundâ ad Timotheum c. 4. vbi Trophimus, & Creſcens locum habent. Et quidem Creſcens dicitur in Gallias profectus, Trophimus verò Mileti, ob affectam valetudinem, relictus ab Apoſtolo; qui tum Romæ agebat in vltimis vinculis. Neque vſpiam alibi reperimus Creſcentem ante id tempus veniſſe in Galliam. Trophimum verò Romæ ordinatum legimus ab Apoſtolis longè antè, & Arelatem delegatum. Ita enim Ado ſcribit in libello de feſtiuitatibus Apoſtolorum, ad 4. Calend. Ian. *Natalis S. Trophimi, de quo ſcribit Apoſtolus ad Timotheum, Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. hic ab Apoſto-*

lis Romæ ordinatus Episcopus, primus ad Arelatem vrbem Galliæ, ob Euangelium Christi prædicandum directus est; ex cuius fonte, vt beatus Papa Zozimus scribit, tota Galliæ fidei riuulos acceperunt: qui apud eandem vrbem in pace quieuit. Vbi vides Romæ ab Apostolis simul illic commorantibus ordinatum esse Trophimum: at illic simul visi non sunt, nisi cùm iis martyrij certamen immineret; quo tempore Mileti Trophimus, vt suprà diximus, relictus erat, & iterum cùm Paulus primùm ad Cæsarem appellatum adductus fuit. Itaque hac primâ morâ Trophimum Romæ ordinatum esse relinquitur: ac deinde aliquot pòst annis, à Paulo in Hispaniam proficiscente datus est Viennensibus Crescens, & Paulus Narbonensibus.

§. IX.

TErtium quod obijcit Aduerſarius, ſunt Dionyſij ſocij, quos Epiſcopi Galliæ duodecim fuiſſe dixerunt, in Epiſtolâ ad Eugenium 2. è conuentu Pariſienſi datâ, & nominantur in actis Fuſciani & Victorici, vt exiſtimat. Cui reſpondemus, neque epiſtolam illam Pariſienſis Conuentus quemquam nominare ſociorum Dionyſij; neque in actis Fuſciani & Victorici, quæ in vetuſtiſſimis membranis habemus, Dionyſij nomen repertum eſſe vnquam. Ex quò quàm ſincerâ fide agat, manifeſtiſſimum ſit. Habuerit autem Dionyſius duodecim ſocios, quid inde? potuit plures, potuit pauciores, ac diuerſos habere, diuerſis temporibus; cùm minimè nominentur, quâ parte faueri

opinioni suæ putat, aut incommodari nostræ? Quid, quod ex eâ epistolâ Episcoporum, nemo possit vllâ ratione colligere; Dionysium fuisse socium Fusciani, Victorici, & aliorum, nisi qui de absurdissimâ contradictione eamdem epistolam reprehendat, quæ Dionysium apertè missum esse testatur à Clemente ducentis penè annis anteà quàm Fuscianus, & alij proficiscerentur ex Italiâ? Eius autem textum epistolæ suo loco mox afferemus.

§. X.

SEd quia nouus quidam Aduersarius rem acu tetigisse, & iudicium tulisse, vnde prouocari non possit, existimat, cùm nobis obtrudit Piatonis acta, in quibus Dionysij nomen inuenit; Paulò accuratiùs rem explanemus; & Dionysium primum Pari-

ſiorum Antiſtitem ſocium eſſe non potuiſſe Piatonis, Fuſciani, Victorici, Quintini, & aliorum, luce meridianâ clariùs oſtendamus. Primò contenditis ex Gregorio Turonenſi, Dionyſium eſſe delegatum ſub Decio, anno videlicet ducenteſimo quinquageſimo ſecundo; ex hiſtoriâ verò Piatonis, & ſociorum eius quam producitis, prædicti viri ſub Maximiano miſſi ſunt. *Quo tempore*, inquit, *Maximianus Auguſtus per arua Galliæ præſidebat, ſancti viri Fuſcianus & Victoricus, cum duodenario numero ſociorum per ordinem glomerati vnà cum venerabili Dionyſio præſule comitibus cæteris Piatone, Ruffino, Criſpino, Criſpiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino, & Regulo, ab vrbe Româ curſu intrepido progredientes, intra fines Galliæ peruenerunt.* Hæc iuxta Aduerſarium illum, vnde ſumpſimus: quanquam, vt iam dictum

est à nobis, Dionysij nomen in vetustissimis Manuscriptis minimè reperiatur insertum. Ita enim habent Acta SS. Fusciani, Victorici & Gentiani, in codice veteri bibliothecæ Corbeianæ, & S. Germani Pratensis, *Successit Diocletianus, qui Maximianum Herculeum ex Cæsare fecit Augustum, vt contra bella tunc instantia Reip. pugnando ferret auxilium. Præcauens etiam ne deorum cultura, se principante deficeret, præfecturam Galliæ Rictiovaro tradidit, eique in Christianos grauiter sæuire præcepit. Qui eius monitis parere deliberans facibus furorum accensis, cultores Christi variis affecit suppliciis, & cateruatim piaculis indidit mortis. Eo tempore Sancti viri Fuscianus & Victoricus, aliis simili sanctitate præditis aggregati, videlicet S. Quintino & Luciano, Crispino & Crispiniano, Piatoni atque Regulo, Marcello & Eugenio, Ruffi-*

no & Valerio ab vrbe Româ progredientes, veloci cursu, feruentique animo pro victoriâ Christi dimicare parati, ad vrbem Parisios, intra fines Galliæ sitam, Christo duce, peruenerunt. Vbi aduerte prædictorum Christi militum cateruam non antè in Gallias expeditam venisse, quàm Tyranni furor inferbuisset. Qua de re, proponamus etiam acta Ruffini & Valerij à S. Paschasio ex vetustissimorum monumẽtorum, vt ipse testatur, fide collecta. *Nonus decimus* (inquiunt) *agebatur annus imperij Diocletiani, mensis Martius, dies solennis Paschæ, vt Eusebij narrat historia* (lib. 8. cap. 3.) *cùm edicta Principis per vniuersum Orbem proponebantur, vt cunctæ quæ vsquam erant Ecclesiæ vsque ad solum destruerentur, scripturæ sacræ igni exurerentur. Post non multum verò temporis proponuntur & alia, vt Christiani diuersis suppliciis addicti sacrifica-*

re cogantur, &c. Hac tempestate insignes viri & fidei constantiâ, morumque sanctitate præclari, Quintinus, Victoricus & Fuscianus, Ruffinus & Valerius, Crispinus & Crispinianus, *cum cæteris suorum sociis Romanâ vrbe oriundi, Belgicæ secundæ populis gentili adhuc superstitione detentis, verba vitæ prædicantes, eos à iugo dæmonum ad Christi libertatem vocabant. Fama est* (notet hic famæ nomen, qui tam diligenter mendacem probat) *hos cum beato Dionysio, qui à beato* Cle*mente Romanæ sedis Pontifice missus fuerat, vt frigida gentilium corda fidei calore animaret, Galliarum fines penetrasse: sed temporum series repugnat; sanctus namque Dionysius sub Domitiano Cæsare anno eius imperij secundo martyrio coronatus est: isti verò Diocletiano, & Maximiano Augustis immortalitatis gloriam perceperunt* (& post quædam) *vt à prophanâ superstitione prouinciam san-*

cti Martyres liberarent ab vrbe Româ profecti, Gallias petierunt: non persecutionis timore, quæ tunc per Orbem sæuiebat vniuersum, sed zelo caritatis accensi, vt homines à mortis dominatione liberatos in vita restituerent dignitatem. Quid enim vno in loco vitarent, quod vbique detonabat? Hoc verò testimonio quid expressius ad fidem, quid à sancto illo, & iuxtà erudito scriptore accuratius ad veritatem posteris tradi potuit? Itaque cœpit potiri rerum Diocletianus triginta & tribus annis post Decium; quibus adde vndeuiginti annos imperij Diocletiani, ex Eusebij testimonio allato, ac tum plusquam quinquaginta annorum intercapedine dissidere videbis missionem Dionysij, iuxta Gregorium, à missione eiusdem Dionysij, iuxta Piatonis & sociorum eius acta. Atque ex iis, aut valere iubeant mendosam historiam

Saturnini, aut de suâ erubescant absurditate Aduersarij, qui secum sanè discordes legatum volunt Dionysium sub Decio, & item sub inclinante imperio Diocletiani. Ita pluribus ad errorem viis abitur, ad veritatem vnâ.

Deinde quis non statim vel ipso aspectu societatis prænominatorum sanctorum sententiæ nostræ suffragetur, cùm in eorum numero neque Gatianum, neque Trophimum, neque Paulum, neque Saturninum, neque Austremonium, neque Martialem demum videat; quos tamen Gregorius Dionysij socios facit, neque vlla sit mentio Eutropij, Ionis, Taurini, Antonini, Sanctini, qui socij Dionysij, vt ex illorum actis probatur, fuerunt; & qui si adderentur ad eorum numerum, quos acta Fusciani recensent, quâ fide, amabo, diceretur

duodenarium fuisse illorum numerum? Et quod seu fraudem, seu errorem aperit euidentiùs, memorati vltimo loco sancti, quos Dionysij socios martyrologia & acta illorum fuisse docent, non tantùm actis Fusciani & sociorum eius non insunt, sed neque Rusticus & Eleutherius indiuidui sanè Dionysij comites, ex omnibus martyrologiis, & laborum & gloriæ illius participes. Ex quibus meridie clariùs est, si quis Dionysius Fusciani, siquis Piatonis & cæterorum socius legitur, aut esse alium à Parisiensi primo, aut mendosè irrepsisse; vt prudenter Paschasius notauit in actis SS. Ruffini & Valerij, quæ iam allegauimus: & in Piatonis actis doctissimi quique deprehenderunt. Inter quos Molanus, qui loco Dionysij in Vsuardi martyrologio, ad primum Octobris, & in Indiculo sanctorum Belgij

reposuit Quintinum, ex aliis martyrologiis vti asserit. Sed redeo ad Dissertationem.

§. XI.

QVartum, quo nos impugnat Aduersarius, istud est: deesse, inquit ille, in vetustissimis codicibus actorum Dionysij, à quonam Romano Pontifice sit missus. At habere minimè potuit omniũ cognitionem vir cæteroqui doctus, aut certè dissimulauit, si habuit. Nam præterquam quòd nullus est codex, qui doceat missum esse Dionysium à Fabiano, quod sequeretur ex Gregorio Turonensi; vel à Caio, aut Marcellino, quod ex Fusciani actis probaretur: vetustissima Bedæ, etiam & alia martyrologia in membranis manuscripta, certæque ab antiquitate fidei, missum à Clemente Dionysium aper-

tè dicunt. Sed & codicem habemus vetuſtiſſimum, in quo vita Dionyſij legitur, & eadem omnino cum eâ, quâ Boſquetus ex manuſcriptis optimæ (vt inquit) notæ publicauit, niſi quod ille ad marginem hæc verba reijci voluit, *aliàs*, *Qui tradente beato Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore*, repoſuitque in textu diuerſis characteribus, *Qui vt ferunt à ſucceſſoribus Apoſtolorum.* Verùm hac de re poſtea fuſiùs erit diſputandum.

§. XII.

QVintum, quod obijcit, eſt, non cohærere, vt à Clemente ſit miſſus Dionyſius, qui Domitiani anno ſecundo cæſus dicatur, tum enim non erat Pontifex Clemẽs, vt inquit. Equidem rectè, ſi Chronologiam eius ducem ſequimur. Cæterùm non igno-

rat, quàm diuersæ sunt de Lino & Cleto, præsertim verò de Cleto sententiæ, fuerit ne alius ab Anacleto, an idem: sederitne ante Clementem, an Clemens immediatè Lino, vel etiam Petro successerit. Neque nescit Tertullianum scripsisse libro de præscriptionibus aduersùs hæreticos. *Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum.* Scit prætereà Augustinum Epistolâ 145. & Optatum lib. 2. Clementem immediatè post Linum reposuisse: & Hieronymum dixisse, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, *Tertius Cletus, tametsi plerique Latinorum secundum post Petrum Apostolum putent fuisse Clementem.* Et Ruffinum tà impressum, quàm manuscriptum, ex Eusebij lib. 3. c. 4. Eccles. historiæ *Linus verò & Clemens in vrbe Româ*

Ecclesiæ præfuisse memorantur. Denique scripsisse Bedam nouit, lib. 2. historiæ Anglorum cap. 4. *Petrus fundatâ Romæ Ecclesiâ Christi, Clementem sibi adiutorem euangelizandi simul & successorem consecrasse perhibetur.* Potuit igitur Clemens Dionysium mittere, qui nihilominùs sub Domitiano sit martyrio defunctus. An autem sit sententia hæc vera, postea dicemus.

§. XIII.

SExtum quod opponitur incommodum est, *Veterum Parisiensium Episcoporum*, inquit, *qui Dionysium secuti sunt, seriem & numerum recognosce: Sextus occurret Victorinus, is qui Agrippinensi de Euphratâ Synodo interfuit* (siquidem absens interesse potuit) *anno æræ Christianæ* 346. *Itaque à Decij primordiis, Dionysiique aduentu ad eam Sy-*

nodum anni fluxere quinque & nonaginta, quos in quinque aut sex Episcopos tribui nihil est incommodi. A Clemente verò ad Synodum eandem anni propè ducenti & sexaginta, quos à tam paucis Episcopis, sede non vacante, occupatos incredibile est. Commodùm reuera. Cæsum Dionysium Parisiensem sub Diocletiano velles (hic amabo, & tu, quod mones, acumen tuum accommoda) ab eius autem imperij tempore fluxerunt anni tres & quadraginta, plùs minùs, vsque ad illam Synodum. Iam puta solùm esse Victorinum, quem post Dionysium sedisse Parisiis dicam: numquid senex ille satis fuerit vel solus, occupando annorum quadraginta spatio? quid igitur erit, si quinque numerentur Episcopi? quid si decimus sit Victorinus, vt probat eruditissimus du Saussay? In quas angustias decem illos intruderes Episcopos,

pos, ſi vnicuique ſex annorum Pontificatum attribueres? Arbitrare paulò æquior.

§. XIV.

DEinde miraremur ſanè Aduerſarios eiuſmodi ratiocinationibus vti, cùm frequentiſſima Interpontificia in difficillimis illis temporibus accidiſſe non neſciant; illorum, inquam, diſputandi modum miraremur, niſi ſciremus offenſatricem, & malam planè cauſam, niſi labantibus, vaniſque præſidiis defendi non poſſe. Videant igitur omnium propemodùm Eccleſiarum tabulas, & Epiſcoporum Elenchos; & ſuſpicionem ſi faciunt primi & ſecundi ſæculi tabulæ, conſulant eas, quæ à tertiâ vel quartâ ætate ineuntur; ac tum videbunt, quàm crebris Interpontifi-

E

ciis Ecclesiarum catalogi dehiscant. In Ecclesiâ Cadurcẽsi post S. Genulphum primum illius Episcopum, à B. Sixto secundo missum, ad annum 260. longum notatur Interpontificium; cùm Paulinus, qui obiit anno 431. ad Florentium tertium Cadurcensem Episcopum scripserit. In Ecclesiâ Niciensi à S. Basso, qui sub Decio passus est, nullus ante Amantium legitur sedisse; viuebat autem sub annum 380. Amantius: quem longo Interpontificio secutus est Catholinus, qui Concilio Matisconensi secundo interfuit, ad annum 588. In Ecclesiâ Tornacensi Theodoricus, qui viuebat anno 480. proximè secutus est Superiorem, qui Agrippinensi Concilio assensit, anno 346. In Ecclesiâ Spirensi post Iessium, qui Concilio eidem subscripsit, sedit Athanasius, qui anno 650. obiit: Vide quàm

diuturnâ vacatione, seu obliuione Pontificum, quod in eandem vim argumenti cadit. Sed festinabo ad finem. Ipse Gregorius Turonensis, historiarum lib. 10. c. 30. Interpontificium in Ecclesiâ suâ Turonensi post Gatianum fuisse refert, tribus his verbis, *Cessauit*, inquit, *Episcopatus* 37. *annis*. Quare ex Elencho Episcoporum integro, argumentum quidem valere haud dubiè potest de antiquitate sedis: ex imminuto verò, & lacunis referto, nihil concludi certò posse manifestum est; tum ob Interpontificia præostensa, cùm ob iniurias temporum varias, atque hominum obliuionem, maximè verò proximorum Apostolis, cùm Ecclesia nondum vllâ tranquillitate frueretur.



AD
CAPVT III. DISSERTATIONIS
CVIVS EST INSCRIPTIO,

Veterem Ecclesiæ Gallicanæ traditionem duos Dionysios agnouisse veterum Martyrologiorum testimonio comprobatur.

RESPONSIO.

§. I.

*Vorum Dionysiorum Testes damus* (inquit) *Ecclesias Gallicanas , & quotquot in ijs olim Pontificales cathedras tenuerunt : qui ore vno si loquantur, omnes de Dionysijs quid senserint, Ecclesiarum suarum Martyro-*

logijs se testatos respondebunt. His magnificè pronuntiatis, & buccinatâ ante congressum victoriâ, vnius affertur Vsuardi textus, ferè in omnibus Ecclesijs lectitari solitus, quod Molanus in ipsâ fronte Martyrologij Vsuardi à se editi, sic testatur: *Martyrologium Vsuardi, quo Romana Ecclesia, ac permultæ aliæ vtuntur.* Et concludit Aduersarius omnia Martyrologia refragari nostræ sententiæ. Correctiùs, opinor, dixisset vnum Vsuardum, & solum, nec videri fauere nobis, nec aduersari. Sic enim habet: *Quinto nonas Octobris, Natale sancti Dionysij Episcopi & Martyris, qui post clarissimam confessionem fidei, post grauissima tormentorum genera glorioso Martyrio coronatus est, vt testatur*Aristides Atheniensis, vir fide, sapientiaque mirabilis, in eo opere, quod de Christianâ religione composuit.* Et, *Septimo idus*

Octobris apud Parisium, Natale Sanctorum Martyrum Dionysij Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi. Qui beatus Episcopus à Romano Pontifice in Gallias prædicandi gratiâ directus, ad præfatam vrbem deuenit, vbi per aliquot annos commissum sibi solerter & ardenter opus prosequens, tandem à Præfecto Fescennio, vnà cum socijs gladio animaduersus Martyrium compleuit. Age igitur, quid hic tam auersum à sententiâ nostrâ? quid tam euidenter & palàm conuincit, ac duos distinguit Dionysios, vt hoc quisquis non videt, lucem meridie quærat? in puro atque incorrupto Bedæ Martyrologio, & Romano vetustissimo, quod se Cardinalis Baronius habuisse testatur, sicut in multis etiam peranti-quis, quæ apud Sanctum Germanum, & Corbeiæ habemus, vnius tantùm fit mentio Dionysij; Sic enim

legitur in vetustissimo omnium Corbeiæ, ante annum à Christo septingentesimum confecto, vt ex iis patet, qui vltimi positi sunt, Sanctis, quorũ nouissimus est Eligius. 7. *Idus Octobris, Parisius, Natale Sanctorum Dionysij Episcopi, Eleutherij Presbyteri, Rustici Diaconi.* Et quinto nonas nihil de vllo Dionysio. Item in alio Martyrologio eiusdem Bibliothecæ Corbeiensis, anno circiter 980. descripto, vt liquet ex die 15. Martij, vbi notatur obitus Abbatis, sub quo confectum est, ita legitur, 7. *Idus Octob. Parisius, Sanctorum Dionysij, Rusticij, & Eleutherij* Et quinto nonas nihil de S. Dionysio. Item in alio ex Bibliotheca Rhemensi, Carolo Caluo imperante scripto, & ad sacramentarium Godelgaudi adiuncto, sic habetur, 7. *Idus Octobris, Dionysij cum socijs.* Et quinto nonas nihil. Tandem

in Martyrologio Eusebij Bibliothecæ Corbeianæ, magnæ omnino æstimationis, ita legitur, 7. *Idus Octob. Parisius, Natalis sanctorum Dionysij Episcopi, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi:* Et quinto nonas, nihil. De editis verò, In Ephemeride Bedæ sic habetur, 7. *Idus Octob. Parisius, Dionysij, Rustici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi.* Et quinto nonas nihil. In Vuandelberti Martyrologio, & Rabani similiter 7. id. mentio fit Dionysij; Quinto verò nonas, nulla. Vnde cum Cardinali Baronio diximus additum esse ad Bedæ Martyrologium, quod de illo quinto nonas Octobris legitur, quoniam vel eâ die festiuitatem agunt Græci tam sui quàm nostri, vt confessi sunt semper, Dionysij; atque ita interpretatur Martyrologium Vsuardi idem Baronius, Molanus, Lanse-

lius, Halloix, aliique scriptores, quos non facilè putem ita parum perspicaces fuisse, vt lucem meridie quærerent, essentque inopes tam mentis, quàm lucis, ad ponderandam & excernendam veritatem. Vel certè additio illa facta est, ex eo quod Metaphrastes Martyriũ Dionysij quinto nonas Octobris assignet: Methodius verò, 7. Idus, sicut alij communiter.

§. II.

CVR *igitur*, inquit Aduersarius, *in codice Vsuardi apud sanctum Germanum vestrum quidquid de Atheniensi Dionysio legebatur, erasistis?* Quod paulò attentiùs profectò dici potuisset; nam neque ille codex est Vsuardi: neque nos quicquam erasimus; est enim antiquissima litura,

quam obijcit, & cuius authorem certè imprudentem non parum reprehẽdimus, quod & ipse minimè ignorat: neque tandem quod expunctum est, mentionem vllam faciebat Areopagitæ, vt patet in similibus, quæ sunt innumera, exemplaribus; aut si non creditur exemplaribus, vnde Aduersarius habet de Areopagitâ quicquam esse derasum, cùm ex liturâ probari nihil possit? Sit verò Vsuardi codex: an placet ab eo litem dirimi? cedimus arbitrum: neque appellabimus certè. Reponemus etiam vltrò quod deletum est. Vidisti, scio, codicem illum peruetustum; num in eo missionem Dionysij ab ipso Clemente nominatim legisti? Legitur sanè, his verbis, *Septimo idus Octobris, Parisius, Natale Sanctorum Dionysij Episcopi, Eleutherij Presbyteri, & Rustici Diaconi, qui beatus Episcopus à san-*

cto Clemente in Gallias directus, vt prædicationis operam à fide Christi populis alienis exhiberet, tandem Parisiorum ciuitatem deuenit, & per aliquot annos sanctum opus fideliter & ardenter executus, à Præfecto Fescennio Sinsinnio comprehensus, & cum eo sanctus Presbyter Eleutherius, & Rusticus Diaconus, gladio animaduersi Martyrium compleuerunt. Quæ sunt etiam verba ipsius Bedæ in suo Martyrologio.

§. III.

QVòd autem interpretationem nostram, imò communé omnium repudiat, ex eo quòd vtrobique apponitur vox, Natalis: aut, prout quidam alius Aduersarius arguit, ex eo quòd tertio Octobris fiat mentio solius Dionysij, non item sociorum eius, vt fit nono eiusdem

mensis; facillima est ad vtrumque responsio; Ad posteriorem quidem Aduersarium, dicendo vnius mentionem factam esse Dionysij eo die, quo apud Græcos celebris est illius memoria, quia nimirum Græcorum intererat suum Dionysium Athenensium Protoepiscopum memorari, non item socios Romæ illi adiunctos, ac nihil tanti de Græciâ meritos. Ad priorem verò Aduersarium, longior est paulò responsio; sed quæ sententiam nostram validissimè confirmet. *Vtrobique, vt vides*, inquit, *Natalis, hoc est, recepti Cælo Martyris diei nomen est.* Ex quo tametsi non modicè instat, minimè tamen animum despondemus. Nam, rogo, si Natalis nomine dies martyrij, vel certè beatæ mortis, necessariò designatur, quod genus mortis oppetijsse dicet cathedram sancti Petri? Ita enim

apud Augustinum legimus sermone decimo quinto de sanctis, *Recte Ecclesiæ Natalem sedis illius colunt, quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit.* Viden' Natalem celebrari vel cathedræ? Ac proinde certè nomine Natalis, quamuis solemnitatem, & cuiuscumque inaugurationis, aut naturalis obitus, aut martyrij, aut translationis memoriam significari? Itaque licet ipse mortis dies nisi vnus esse non possit, eius tamen memoriam diuersis diebus, non tantùm apud Græcos & Latinos iunctim, verùm etiam apud vtrosque diuisim, contingit celebrari. Vis exempla ex omni ordine sanctorum? In vetustissimo Martyrologio, ex membranis ante septingentos, plùs, minùs, annos descripto, & ante nongentos composito, vt paulò antè probauimus; & Epitome videtur esse Hieronymiani: hæc le-

guntur, *Decimo Kal. Maij*, *Natalis sancti Philippi Apostoli*: &, Kalendis *Maij*, *Natalis Sanctorum Philippi & Iacobi*. Nunquid duos dixeris Philippos Apostolos, quia vtrobique Natalis legitur; & vno in loco solus, in altero cum socio est; illic Apostolus dicitur, hic minimè? Noli igitur iniquior esse Dionysio. Sed pergendum est. *Tertio nonas Iunij*, *Natale sancti Thomæ Apostoli*. Et, *quinto nonas Julij*, *Natale, & translatio corporis sancti Thomæ Apostoli*, *qui passus est in* Indiâ. Et, *duodecimo* Kal. Ianuarias, *in Mesopotamiâ*, *ciuitate Edissâ*, *Natale*, *& translatio corporis sancti Thomæ Apostoli*, *qui translatus est ab* Indiâ, *cuius passio ibidem celebratur quinto nonas Iulias*, *Decimo tertio* Kal. Iunij, *Natale sanctorum Germanorum Geruasij & Prothasij*. Et, *decimo tertio* Kal. Iulii, *in Mediolano ciuitate*, *Natale sanctorum*

Nazarij, Geruaſij, Prothaſij & Celſi pueri. Et, *quinto Kal. Auguſti, Mediolano Natale ſanctorum Geruaſij, Prothaſii, Nazarii & Celſi pueri. Tertio nonas Maii, Arelato, depoſitio ſancti Helari Epiſcopi.* Et, *Nonis Maii, Arelato, depoſitio ſancti Helari Epiſcopi. Nonis Febru. In Siciliâ, Catanas ciuitate, paßio ſanctæ Agathæ Virginis.* Et, *Quarto idus Iulij, in Siciliâ, Natale ſanctæ Agathæ Virginis.*

Quò ſimpliciora, dicunt, hoc ſinceriora viſa ſunt Martyrologia. His ergo quid opponent, niſi fortè, ſi quo quomodo obſtinauerint animo vincere, peruicaciam? Quod tamen de viris eiuſce probitatis ac maturitatis non eſt metuendum; ſed fortè præ cæteris amant Vſuardum teſtem; accipiant igitur ex eo quod noſtram iuuet ſententiam. *Sexto idus Decembris, apud Nicomediam, Natalis ſancti-*

Adriani Martyris, &c. Quem tamen constat quarto nonas Martij fecisse martyrium, vt Molanus aduertit. *Tertio idus Aprilis, Romæ, Natalis beati Leonis Papæ, cuius temporibus extitit sancta Synodus Calcedonensis.* Et, *quarto Kalendas Iulii, Natalis beati Leonis Papæ & Doctoris.* Item in Vsuardo, *pridie idus Decembris apud Narbonam, Natalis sancti Pauli Episcopi & Confessoris, quem beatus Apostolus ordinatum eidem vrbi destinauit Antistitem; cumque eodem Apostolo ad* Hispanias *prædicandi causâ pergens, ibidem relictus est. Vbi prædicationis officio non segniter impleto clarus miraculis coronatus quieuit.* Et in Martyrologio Romano, *vndecimo Kal. Aprilis, Narbonæ in Galliâ, Natalis sancti Pauli Episcopi Apostolorum discipuli,* &c. Et in Martyrologio Adonis, *vndecimo Kal. Februarii, Natalis sancti Pauli, quem beatus*

tus

tus Apostolus ordinatum vrbi Narbonæ Episcopum misit, &c. Ex his itaque aut per Natalem, noli mortis diem intelligere, vt facis, aut prædictos sanctos bis, terve mortuos interpretare.

Certè non temerè quidem diximus videri Vsuardum nec fauere nobis, nec aduersari. Cogitatiùs verò consideranti textum, & morem eius antiqui Martyrologi, apparet continuò totus ex nobis. Neque hic argutia est, & inanis quædam subtilitas. Vidit sine dubio Vsuardus bis eundem reponi Dionysium, primo quidem loco, vt Græcorum consuetudini, secundo, vt Latinorum accederetur. Eamque ob rem tertio nonas Octobris, ne videretur voluisse dicere Athenis passum esse Dionysium, quem Parisiis cæsum nouerat, locum nullum assignauit contra perpetuum morem, quem toto Martyrologio

tenuit, nisi Martyrij prorsus ignorauerit locum. Ac ne gratis isthæc dare videar, da veniam Lector, prolixiùs paulò circa Vsuardum demoranti, afferam Dionysios, quos ille diuersis locis memorauit; quorumque neminem prætermisit, cui vel vrbem, vel certè peculiarem prouinciam non assignarit, præterquam repetito eodem mense Dionysio.

6. *Id. Febr. apud Armeniam minorem, Natalis sanctorum Dionysij, &c.*

16. *Calendas Martij, apud Alexandriam, sanctorum Martyrum Basi, &c. item Dionysii & Ammonii decollatorum.*

17. *Cal. Apr. apud Aquileiam, Natalis B. Hilarii, qui sub Beronio præside cum felice Largo & Dionysio, &c.*

6. *Id. Apr. apud* Corinthum, *B. Dionysii Ep. &c.*

8. *Calendas Iun. Mediolani S. Dionysii, &c.*

Pridie Cal. Aug. ciuitate Sinnadæ SS. Democriti, Secundi, & Dionysii.

12. Cal. Oct. in Phrygiâ, SS. Dionysii & Priuati.

7. Idus Oct. apud Parisium, SS. Martyrum Dionysii, &c.

15. Cal. Decemb. apud Alexandriam, B. Dionysii Ep. &c.

7. Cal. Ian. Romæ viâ Appiâ, depositio S. Dionysii Papæ.

Hęc in Vsuardo iuxta morem suum locum omnibus assignandi. Quid igitur 3. nonas Oct. facturus fuisset, si Dionysium Areopagitam existimasset, aut legisset Athenis passum? Numquid piguisset Athenas nominare, qui tam diligens fuit in obseruandis omnium locis, vt ostendimus? Iudica, lector, num & Vsuardus, quem opponunt nobis, sit noster: quod in refutatione capitis quinti, §. 6. exploratissimè patebit ex aliâ ob-

seruatione in eiusdem authoris textu.

§. IV.

DEmùm quî fieri poteſt, vt ex Græcorum ſynaxariis quibuſdam vitioſiſſimis quicquam ſibi fauere arbitretur Aduerſarius? Neque ſanè ſunt vllius antiquitatis, neque vllius fidei, quæ conſumptum igne Dionyſium dicant, ac deinde tanquam Phœnicem ſuis è flammis rediuiuum ad Occidentem conuolaſſe: hem! quàm irrideremur, & meritò, ſi corruptiſſima, mendaciſſimaq; iſtiuſmodi teſtimonia in aſſerendâ veritate proferremus. Neque ille vir doctus profectò iis abuteretur, ſi quid melius antiquiuſue ſuccurreret. Citauimus Menæa Græcorum quæ nullam eiuſmodi abſurditatem præ ſe ferunt, & Dionyſium Athenienſem

Pariſiis obtruncatum docent. Quamobrem quòd nonnulla Martyrologia tertio Octobris dicant, *Athenis, Dionyſii, &c.* nullo modo ſignificant cæſum fuiſſe Dionyſium Athenis, ſed tantùm eo die, eâque in vrbe triumphum eius celebrari. Sicut cùm in Romano Martyrologio legitur, *Octauo Kal. Septembris, Lutetiæ Pariſiorum, Sancti Ludouici Confeſſoris, Regis Francorum*: non Pariſiis propterea obiiſſe intelligendum eſt: quis enim ignorat eum in Africâ Galliarum imperium cum cœleſti regno mutaſſe: ſed ſolummodò feſtiuitatem illius beatæ mutationis, Lutetiæ Pariſiorum agitari. Sic in veteri Romano Roſuueydico legitur, *Kalendis Februarii, Antiochiæ, Ignatii Epiſcopi et Martyris*: & certum nihilominùs eſt, eum Romæ, non Antiochiæ fuiſſe defunctum Martyrio.

§. V.

TAndem quod heri Martyrologium quoddam Rhemense prolatum fuit è suâ latebrâ, quo caneretur, Dionysium Athenis passum esse; tam serò apparet, ac tot notis fidei labefactatæ, vt nullam reuera fidem mereatur. Hincmarum Archiepiscopum Rhemensem, qui tenacissimus est nostræ sententiæ, antecedere non potuit, sed quid dico antecedere? ne ducentorum quidem annorum est, vt ex manu facilè probatur, (licet gratuitò antiquissimum appellent Aduersarij.) Certè nunquam eius authoritatis fuit id Martyrologij, vt quisquam antea ex eo litem moueret, aut exciperet. Nullum deinde authorem habet, cùm alia omnia habeant aut Eusebium siue Hieronymum, aut

Bedam, aut Vsuardum, aut Adonem, aut Romanam Ecclesiam, aut Rabanum, aut Vuandelbertum, aut Notkerum, aut alterum eiusmodi. Denique cùm sit vnum, & solum, & incognitum, obscurâ, & tamen audaci manu contra cæterorum omnium fidem, & exemplaria hoc loco deprauatum, ne refutationis quidem verbum meretur; quod seipsum damnat tot argumentis.



AD

CAPVT IV. DISSERTATIONIS


CVIVS EST INSCRIPTIO,

Hilduini & sectatorum eius qui Dionysium Parisiensem cum Areopagita confundunt, noua opinio exploditur.

RESPONSIO.



§. I.



Actenus antiquam, ac proinde veram, de duplici Dionysio maiorum nostrorum traditionem exposuimus (ait dissertator) Vnde verò, amabo, antiquitatem illam repetiit? quem ve-

terum authorum allegauit? quam monumentorum fidem præstitit, quã maiorum traditionem demonstrauit? quarum Ecclesiarum tabulas, quarum bibliothecarum membranas aut cortices exprompsit? habet omnino solum Martyrologium Vsuardi, quo nihil reuera concutitur, imò statuitur nostra sententia, vt palam ostendimus ex pluribus aliis Martyrologiis: & ex eo ipso Vsuardi textu est euidens, eritque magis in epilogo.

Hoc itaque vanissimo colore defendendæ traditionis, quam è suis partibus stare Aduersarij non desinunt fingere, quid aggrediuntur, quoue molimento depugnant? Hilduinum Ludouici Imperatoris Archicapellanum inuentorem vocant, & incentorem fabularum; horridum & insulsum scriptorem. Hincmarum verò & falsum & fallentem tradu-

cunt. Quem tamen Antistitem Rhemensem clarissimum sane apud omnem hominum memoriam, & eruditione cultissimum quid vnquam, aut quis poterit obscurare? Hunc, in quo, vt Lupus Ferrariensis loquitur ep. 42. *Et nobilitas & sapientia conuenerunt:* & cuius sapientiam atque sanctimoniam Nicolaus primus Pontifex ab omni adulatione alienissimus commendat ep. 28. Sed supersedeo; vereor enim ne iniuriam suam putent, quod nos iniuriæ depulsionem meritò credimus alienæ. Hilduinum porrò, Hincmarum, Paschasium, qui cum singulari doctrinâ probatam ab vniuersâ Ecclesiâ vitæ sanctimoniam adiunxit, sua merita tutantur efficaciùs à calumniis quorumcumque hominum, quàm vt patrocinium vllius desiderent.

§. II.

TAntùm hîc detegam breuiter tria quædam errata Dissertantis. Primum est, Ioannem Erygenam reclamasse contra historiam Hilduini: cuius rei contrarium vel ipse Ioannes manifestat in eâ epistolâ, quam ad Carolum Caluum scripsit, vbi sic loquitur de Dionysio Areopagitâ, cuius opera Græca in Latinam linguam conuerterat, *Hunc eundem quoque* (Areopagitam) *non præfati viri* (Eusebius & Gregorius) *sed alij moderni temporis asserunt (quantùm vita eius à fidelibus viris tradita, testatur) temporibus Papæ Clementis, successoris videlicet Petri Apostoli, Romam venisse, & ab eodem prædicandi gratiâ in partes Galliarum directum.* Omnino si fideles viri, qui scribunt, fidem merentur à le-

gentibus. Sed quamquàm ille apertè reclamasset, quid tum verò? Fuisset sanè illud argumento benè acceptæ & confirmatæ veritatis, quam vnus ille author, atque exterus, non approbasset, cæteri recepissent. Non habent itaque Aduersarij, vnde meritò Ioannem hunc Scotum reclamantem obiiciant, ex allato textu; qui tamen si qualis est in vetùstioribus codicibus incorruptè proferatur, non tantùm non reclamabit, verùm etiam suffragabitur apertissimè. Sic enim legitur in antiquissimo codice Bibliothecæ Monasterij sancti Michaëlis, in periculo maris dicti. *Fertur præfatus Dionysius fuisse discipulus, atque adiutor Pauli Apostoli, à quo Atheniensium constitutus est Episcopus, cuius Lucas commemorat in Actibus Apostolorum, & Dionysius* Corinthi *vir antiquus: Beatus quoque Polycarpus, in Epistolâ ad Ecclesiam*

Athenarum, Eusebius item Pamphili, in Ecclesiasticâ historiâ, necnon etiam sanctus Papa Gregorius, in Homiliâ suâ, vbi breuiter Angelorum ordines exposuit. Hunc eumdem asserunt, quantùm vita eius à fidelibus viris tradita testatur, temporibus Papæ Clementis, successoris videlicet Petri Apostoli, Romam venisse, & ab eo prædicandi Euangelij gratiâ in partes Galliarum directum fuisse, & Parisiis Martyrij gloriâ coronatum fuisse cum beatißimis suis consortibus, Rustico scilicet atque Eleutherio. Quod si queruntur mitti in periculum maris, & fidem è vicino peti desiderant: damus penè domesticam. Bibliothecam Thuanam adeant; eadem verba legent in veteri codice, cuius appositus est numerus 310. pro notâ. Fuit autem ex Aduersariis qui diceret, Scotum ironicè locutum. Sed quale id sit, quàm vanum, quàm ridiculum, dicere su-

peruacaneum nimis fuerit.

§. III.

SEcundum est, Æneam Parisiorum Episcopum etiam in fraudem inductum, vt inquit: debuerat dicere secutum fuisse veterem traditionem, quam & posteri omnes tenuerunt; alioqui sequeretur sanè, aut non intellexisse quæ legerent in choro & canerent, aut legisse & cecinisse quæ minimè vera esse sentirent: quod certè opinari nemo est, qui prudenter possit. Verè igitur, & pro veteri sensu Ecclesiæ, titulum hunc præfixit suæ aduersus Græcos lucubrationi Episcopus Parisiensis circa annum 859. *Æneas Parisiensis vrbis Episcopus, quo primus præsedit S. Dionysius à Paulo Apostolo Atheniensium consecratus Archiepiscopus, sed à Clemente to-*

tius Galliæ constitutus Apostolus, pacem & gloriã catholicæ fidei cultoribus. Age autem, si de Missalibus, si de monimentis Ecclesiæ Parisiensis Hilduinus esset mentitus, quid est cur, Æneas, & nobilissima illius Ecclesia sponte errare, veritatem consultò euertere, & immittere in rem sacram mendacia maluisset cum impostore Hilduino (fuisset enim talis) quàm rectè sapere, & cursum veritatis tenere cum antecessoribus suis? horreat sanè figmenta eiusmodi sacrilega suspicari, quisquis non temerè iudicat.

§. IV.

TErtium est, successores Æneæ facilitatem eius non fuisse amplexos, sed traditionem de duplici Dionysio retinuisse. Vnde verò id

probat Aduersarius? Certè contrarium manifestum est. Nunquam alia fuit, quàm ea, quæ nunc traditio est. Hoc omnes libri, hoc omnes authores, hoc officia Ecclesiastica Ecclesiæ Parisiensis, imò Galliæ vniuersæ, hymni, & lectiones, quæ in vigiliis nocturnis Dionysiani festi recitantur solenni ritu, ante omnem memoriam grauissimè testantur; & referta sunt iis templa, refertæ Bibliothecæ vetustissimæ. Itaque non potuit Æneas nouum aliquid de vnitate Dionysij commentari, cùm iam illa vnitas assertissima esset: neque successores illius recipere se ad pristinam de duobus Dionysijs traditionem, quæ planè chimærica est, & hactenus inaudita.

§. V.

§. V.

HÆc verò nostrorum Aduersariorum est fides, hoc robur, hoc firmamentum argumentorum, quæ aduersum nos intorquent, vt multa dicantur, negentur, criminentur, nihil autem comprobetur: & si quid ex opposito pugnat pro veritate, dissimuletur, eludatur, irrideatur. Nam hoc artificio sinistro & traditionem nostram de Dionysio vllam esse negant; & veritatem, quam amplectimur, opinionem nouam appellant; & historiam, quam legimus de Dionysio, vocant perpetuò fabulam; & Hilduinum scriptorem imposturæ insimulant. Quo genere pugnandi quidam præsertim adunco suspendentes omnia naso, sibi visi sunt bellissimè triumphare. Sed in-

uenient, spero, digniorem materiam suis ingeniis, suis operis atque otio erudito. Ponant igitur ij nunquam Hilduinum Areopagitica sua cogitasse, illum nunquam vel extitisse in humanis: nunquam grauissimos omnino scriptores Hincmarum, Anastasium, Æneam; nunquam vllos assertores nostræ sententiæ, prænominatorum suppares: an continuò existimant, & inter Græcos, & æquè inter Latinos magni Dionysij nomen cum suis diuinis operibus irreparabili Galliæ iacturâ occasurum? & neminem fore, qui regiæ Parisiorum vrbi charissimum suum Patrem vindicet? Erit certè inter Latinos antiquior Hilduino, Beda, qui missum à Clemente testetur. Erunt antiquissima gesta Dionysij, quæ veritatem eamdem proferant. Erunt magno numero Martyrologia peruetusta,

ipsumque Rosuueydianum, quę sub Adriano cæsum Dionysium cùm docent, palàm faciunt, eum non potuisse Athenis interfici. Erunt literæ Pipini Regis, quæ missum à Clemente dicant, his verbis, *Dionysius, & sæpè iam dictus Rusticus & Eleutherius, qui primi post Apostolos, sub ordinatione B. Clementis, Petri Apostoli successoris, in hanc Galliarum prouinciam aduenerunt, &c.* Erunt denique literæ illæ multorum Antistitum Galliæ, anno 824. ad Eugenium Papam datæ, & quæ apud Baronium leguntur tom. 9. quibus traditionis nostræ perpetuitatem per suarum Ecclesiarum principes his verbis stabiliat Gallia. *Nec vobis tædium fiat, si ad ostendendam rationem veritatis, veritatemque rationis se se paulò longiùs sermo protraxerit: dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus nostris vsque ad nos*

inflexibiliter ducta est, B. Dionysio scilicet, qui à S. Clemente, qui B. Petri Apostoli in Apostolatu primus eius successor extitit, in Gallias *cum duodenario numero primus prædicator directus, & post aliquod tempus, vnà cum socijs huc illucque prædicationis gratiâ dispersis, martyrio coronatus est.* En verò tibi è suis Episcopis totius Ecclesiæ Gallicanæ sensus; en, vt inquiunt, *Linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus nostris vsque ad nos inflexibiliter ducta est,* & vera & legitima & à capite deriuata traditio. Et hæc omnia ante Hilduini opus. Nam iubente Ludouico pio scripsit Areopagitica sub annum Christi 837. Cùm inter Concilia antiqua Galliæ reponatur Epistola eiusce Imperatoris ad annum imperij sui 23. Christi 836. Erunt deinde inter Græcos, æquales quidem Hilduino, sed & longo terrarum spatio discreti, &

traditionibus ac monumentis Græcarum Eccleſiarum inſtructi, qui ſuum Doctorem Galliæ aſſerant, Methodius (ſcripſit autem hic ante Hilduinum, vt mox probabimus) Sincellus, Metaphraſtes. Erit denique ſilentium illud vniuerſi Orientis de Dionyſij ſui commento, ſi quod eſſet, ac tacita confeſſio Athenarum, quæ omni tubâ clariùs aſſignat illum nobis, cuius neque cineres, neque certaminis arenam, neq; aliud quodpiam monimentum hactenus deſignat. Quæ omnia explicatiùs dicere non eſt opus. Tantùm pauliſper in Methodio ſiſtamus gradum.

§. VI.

LAudatiſſimus iſte Methodius, qui teſte Anaſtaſio Bibliothecario, ſcripſit vitam S. Dionyſij, quam

& habemus; floruit quidem Ludouico Pio imperante, ita tamen vt in scribendâ dicti Martyris historiâ, multis annis præuerterit Hilduinum. Refert enim Anastasius eam à Methodio Constantinopoli Romam legato compositam fuisse, atque à se lectam cùm puer esset. Eminebat autem doctrinâ politissimus iste vir circa annum 850. Methodius verò legatione fungebatur, 818. ex Glycâ, Constantino Manasse, & Cedreno, vbi dicitur, ἐν Ρώμῃ πεμφθεὶς πρὸς τὸν Γάπαν διὰ τὰς κατὰ Νικηφόρου τοῦ ἁγιωτάτου πατριάρχου ἀνεγερτείσας ἐπαγωγάς, &c. Quod autem olim compositam à se breuem illam de Dionysio historiam Constantinopoli attulerit, tum ex eius ipsius textu mox afferendo probatur, cùm ex eo quòd nec diu, nec ociosus Romæ versatus est; eodem quippe anno vertente à Paschale Cō-

stantinopolim iam Legatus Romanus fuit remissus: denique constat ex Anastasio, cuius hæc sunt verba, in Epist. ad Carolum Caluum, quæ apud Surium legitur 9. Octob. *Passionem sancti Hieromartyris Dionysij Areopagitæ, pôstque Athenarum Antistitis, quam Romæ legi cùm puer essem, quamque à Constantinopolitanis Legatis audieram, &c.* Et in fine. *Huius autem paßionis textum B. Methodius, qui à sede Apostolicâ Constantinopolim Presbyter missus, eiusdem vrbis tenuit Pontificium & ex tunc inter sanctos ab omnibus ob suæ confeßionis & agonis certamen, veraciter veneratur & colitur, edidit pauca de multis præcedentibus scriptis excerpens.* Igitur excerpsit à scriptoribus antecedentibus; Romæ autem non potuit, tum enim nulli erant Latini Dionysij vitæ scriptores; vnde consequens est, vt in Græciâ confectam hi-

storiam secum in Italiam attulerit: Nam qui attulerint alij Legati, neque legitur, neque alia prorsus legatio facta reperitur Constantinopoli Romam, sub annis puerilibus Anastasij, neque longo pòst tempore, nisi quã Monobasia & Methodius ad Paschalem Papam ante annum 818. obierunt. Cùm autem constet Ludouicum Imperatorem dedisse mandatum Hilduino componendi vitam Dionysij anno 836. reposita est enim epistola dicti Imperatoris inter Concilia antiqua Galliæ, ad hunc annum, vt iam diximus; & ex illius textu probatur, vbi restitutionem suam in Imperium Dionysij suffragiis attribuit Pius ille Princeps; conficitur sanè id, quo manifestius nihil esse possit, Methodium videlicet composuisse vitã Dionysij multis antè annis, quàm vel scribere cogitauisset Hilduinus.

Quibus ſi adiicimus, quæ ipſe Methodius aſſerit, nempè hiſtoriã Dionyſij, non à ſuâ mente, non à ſcriptoribus æui ſui, & recentioribus, non ab incertis authoribus accepiſſe, ſed à firmâ certáque antiquitate, & ſuperioribus longè temporibus. Ἐκ παλαιᾶς διηγήσεως ἡμῖν ἐξωνήθη, καὶ ἃ ἐκ μέρους ἐκ παγίου ἀρχαίου ὀλίγα καθὰ ἠδυνήθημεν, καὶ ἀπὸ μακρῶν χρόνων ἀκηκόαμεν, ἐν συγγραφῇ παρεδώκαμεν. Hæc, inquam, ſi addimus ad præfixam epocham ſcriptionis vitæ Dionyſianæ, quis non pro certiſſimo ſentiet præuentum eſſe Hilduinum à Methodio, & hũc nihil accepiſſe ab Areopagiticis Hilduini; qui à certâ firmáque antiquitate ſua ſcripta deriuauerit? Niſi ſi, quod pudor, modeſtia & pietas prohibent, Methodius pro inſigniter mendaci, & qui ſtudio fallere, & in re ſeriâ & ſacrâ illudere poſteritati

voluerit, traducatur. Hoc si Aduersarij dicunt, quod absit vt credam, continuò tanti viri authoritas, doctrina & sanctimonia toto Orbe spectabilis reclamabunt.

Καὶ τὸν Μεθόδιον ὑμνεῖ, καὶ πάντα καταλέγει,
Τὴν πολυμάθειαν αὐτοῦ, τὸ πόριμον, τὴν γνῶσιν,
Καὶ τὴν οὐρανοβάμονα σύνεσιν καὶ σοφίαν:

Hoc est, *Methodium prædicat indicatis dotibus, doctrinæ magnitudine, scientiæ copiâ expeditâ & abundanti, prudentiâ sapientiáque, vertice suo cœlum ipsum attingente;* Ita quidam purpuratus Imperatoris Theophili apud Constantinum Manassem; qui postea eumdem vocat,

Τὸν αἰθέριον τὸν νῷ, καὶ θεοφόρον ἄνδρα.

Hoc est, *virum mente cœlestem, & numine diuino plenum.* S. Theodorus Stu-

dita, Glycas, Cedrenus, Curopalata, vno verbo omnes qui de Methodio loquuntur, ita magnificè extollunt, vt extra teli Aduersariorum iactum positus sit. Et ne apud Græcos tantùm putetur laudatus: præterquàm quòd Catalogo sanctorum ascriptus est ab Ecclesiā, pro cuius tuendâ fide cum duobus facinorosis hominibus in sepulchro diu conclusus fuit, vnde & Martyr appellari legitimè, & multorum exemplo possit, quamquam in Martyrologio Romano 14. die Iunij, quâ celebratur eius memoria, Martyr minimè vocetur: eum Nicolaus Papa in epist. ad Michaëlem Imperatorem, Magnum emphaticè nominat, *Fuerunt*, inquit, *huiusmodi hæreses in Nicæâ secundò conuocatâ Synodo, & à Magno Methodio deinde subuersæ.* Itaque, qui aduersantur nostræ opinioni, aut

Magnum hunc virum per maioris alicuius authoritatem indignum ostendant esse, cuius fides aliquo sit loco & numero, vel iurgari & cauillari desinant aduersus illum.

§. VII.

SEd neque est cur quidam remittat Methodium, Syncellum & Metaphrasten ad Constantinopolitanos, qui post annum millesimum ducentesimum Dionysij Areopagitæ caput Niuelloni dederint. Vel enim fuisset Dionysij corpus Constantinopoli Patriarchatus Methodij tempore: quod ne stupidissimus quidem totius Græciæ homo nescire non potuisset: vel aduectum fuit posteà id corpus; At neque hoc concedi potest: Sunt enim translationes eiusmodi sanctorum illustrium celebriores,

quàm vt eas obruat silentium omnium scriptorum. Et vel cognitum saltem eo tempore fuisset, vbinam reliquum Dionysij corpus reperiretur. Neque Nicephorus nostræ sententiæ assertor, qui vno pòst sæculo viuebat, neque omnes Græci tacuissent imò cōtrarium asseruissent. Suessionibus tamen temeritati minimè verto, quæ res ab aliis non semel factitata est, titulo insignioris sancti sub eodem nomine, reliquias cuiusdam Dionysij Constantinopoli allatas; illustriores esse voluerunt.



AD
CAPVT V. DISSERTATIONIS
CVIVS EST INSCRIPTIO,

Dionysij Areopagitæ transitum ab Episcopatu Atheniensi ad Parisiensem Græcis omnibus ignotum olim fuisse, certis argumentis ostenditur.

RESPONSIO.

§. I.

T*Ranslationes Episcoporum*, inquit, *sediumque mutationes, vetus Ecclesiæ disciplina in vsu non habuit, easque ne frequentarentur, crebrò interdixit.* At

cur interdixit, rogo, nisi propterea quòd ita erant in vsu, atque ita frequentabantur, vt non tam vsus ad necessitatem, quàm ad ambitionem abusus meritò videretur? Cùm verò asseueranter hic dicit apud Latinos annis propè nongentis inuiolatam legem stetisse non mutandæ sedis, vt nihil de Crescente, nihil de Martiali, nihil de Regulo, nihil de Sixto, aliisque primi ac secundi sæculi, dicam: patet asseuerantis allucinatio ex Aprunculo, qui à sede Lingoniensi ad Aruernensem, circa annum 486. transiuit. Patet ex Quintiano, qui è Rutenensi ad Aruernensem pariter, ad annum 510. migrauit. Est euidens denique in Fronino primùm Agathensium, deinde Vincientium Episcopo, circa annum 600. Quos tametsi quædam procella de sede mouit, aliam tamen assumere non debuerunt, si

comparatio, quam è matrimonio petit, bona est. Sed verò quid me translationes Latinorum tenent, vbi de Græco Antistite sermo est?

§. II.

Translationes igitur apud Græcos, quas dixit Aduersarius raras, longè verisimiliùs dixisset, admodum quotidianas. Catologum enim, quem *exquisitum & accuratum* haberi cupit, nos perfunctoriè scriptum probamus; & primò quidem ex eodem illius authore Socrate, eodemque loco, nempè lib. 7. cap. 35. dicente, παρὰ τοῖς παλαιοτέροις ἡμῶν ἀδιάφορον ἦν ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μετάγειν ἐπίσκοπον, ὁσάκις χρεία ἐκάλει. hoc est. *Res erat indifferens apud veteres, quoties vsus poscebat, Episcopum ab vnâ vrbe ad aliam transferre.* Secundò ex Nicephoro,

cephoro, qui multò ampliorem exhibens catalogum, ait nihilominùs non omnes à se fuisse recensitos, qui ab vnâ sede ad aliam transierunt. Cur igitur, inquies, Dionysius tam memorabilis Præsul, prætermissus est à Socrate? Certè quia nonnullos tantùm referre voluit. Mox vberiùs dicam. Dic tu mihi, quæso, cur omisit Petrum memorabiliorem Dionysio, qui Antiochiâ Romam: cur Eustathium, qui Berœâ Antiochiam: cur Maximum, qui Diospoli Ierosolymam: cur Eudoxium, qui Germanicâ primùm Antiochiam, deinde Constantinopolim translatus est? cur vterque scriptor Methodium clarissimum Martyrem non memorauit, qui, vt Hieronymus in catalogo suo docet, primùm Olympi Lyciæ, deinde Tyri sedit Episcopus? Cur vterque omisit eos, quos cum Petro memorat

Antherus in decretali, Eusebium nempè, qui de paruâ quadam, vt ait, ciuitate, Apostolicâ authoritate mutatus est Alexandriam, & Fœlicem, qui translatus est Ephesum, communi consilio Episcoporum? cur vterque Publium prætermisit, qui ab Apostolo Paulo primùm Melitenus Episcopus cùm ordinatus fuisset, vt Martyrologia Adonis, & Romanum Rosuueydi testantur, deinde Athenarum rexit Ecclesiam? Eâ de causâ sanè isti omnes prætermissi sunt, quâ Dionysius: quòd nimirum nonnisi paucos, & suorum temporum pro maiori parte viciniores, ad exemplum adducere historiographus vterq; statuisset. Ipse verò Nicephorus, qui non meminit Dionysij in suâ illâ enumeratione: cum tamen ad Occidentem migrasse lib. 2. cap. 20. disertissimè memorauit. Quod est argu-

mentum longè certius, non fuisse illi mentem recensere omnes, quos nosset à primâ suâ sede migrasse ad aliam.

§. III.

SEd pergis, & affers cautionem Synodi Sardicensis, vbi tum eiusmodi translationes damnantur, tum ostenditur nullum hactenus Episcopum de maiori ad minorem transisse ciuitatem. Primò respondemus, Dionysium futurum fuisse obsequentem huic decreto, si tum, vel postea vixisset, quàm factum fuit. Secundò, nunquam interdictas fuisse translationes, vt perpetuus omni æuo, receptissimusque vsus probat: sed ambitioni & abusui ne liceret quicquam, prouisum esse. Tertiò (adhibeat aures animumque tua paternitas, obsecro) Dionysium dicimus non mu-

tasse propriè sedem, sed reliquisse prorsus, vt prædicationi verbi diuini curas integras admoueret (quę Apostolicorum virorum consuetudo fuit, vt probamus ex Eusebij grauissimo testimonio, ad finem huius capitis) Eâque mente petiisse Romam, & varias deinde Occidentis prouincias cum Euangelicâ face lustrasse. Ex quo mirum non est, si nemo illum reponat in elencho eorum Episcoporum, qui sedem mutauerunt. Quòd verò postea Parisiorum fundarit Ecclesiam, id præter consilium eius accidit; Reliquit enim Athenas subrogato Publio, nihil de Parisijs, quamquam de Galliâ fortè in vniuersum, cogitans. Quo tempore nulla erat sedes Episcopalis Lutetiæ, cum quâ priorem mutare diceretur. Itaque factum est, vt apud plerosque nomen prioris Episcopatus retinuerit, ma-

H

ximè verò apud Græcos, cùm ob claritatem vrbis Athenarum; tum verò ex eo quòd egregia sua opera in eâ sede Græcarum literarum principe Atticè lucubrasset. Præterea, quòd in eâ vrbe diutiùs multò, quàm Parisijs, sedisset: denique ob reuerentiam magni Apostoli, qui Dionysium suâ institutione Christo acquisitum, & suâ manu consecratum, Ecclesiæ Athenarum primum præfecerat.

§. IV.

POstea demiror argutum esse Aduersarium contra se, cùm in exemplum allegat appellatioñe Gregorij Nanzianzeni, & habeo illi gratias, qui causam nostram testimonio iuuat, quo luculentius aliud esse vix possit. Fuerat Gregorius Episcopus primùm Sasimorum creatus; Na-

zianzenam deinde Ecclesiam sub patre suo Gregorio administrauerat: denique in sedem Constantinopolitanam est sublimatus, vbi Clero, populo, Imperatore, & Episcoporum Cõcilio confirmantibus electionem, aliquandiu præfuit. An quisquam eum Constãtinoplis Archiepiscopum appellat? Numquid Nanzianzi, cuius populum aluerat verbo Dei, & instituerat multorum annorum curis? Ita & tu, Lector, philosophare de Dionysio nostro, qui plures annos Athenis, quàm Parisiis versatus est.

§. V.

ET quia de Parisiorum vrbe Aduersario placuit argumentari, hic eâ de re nonnihil breuissimè disseramus. Fatemur quidem tunc temporis, cùm Dionysius in Galliam est

legatus, oppidum tantum, seu castrum non magno ambitu murorum comprehensum fuisse Lutetiam : habuisse tamen ciuitatem & populum non contemnendum, vt ex commentariis Cæsaris apertè constat. Neque porrò nobilitas vrbium pendet ab amplitudine murorum ambientium, sed à liberalioribus populi moribus, & ingenio loci, quem cœli salubritas, vbertas soli, aquarum affluentia, & ad commercia vicinarum gentium opportunitas bearint, quæ quàm liberaliter indulserit natura Lutetiæ, & oculos habemus testes, testem Cæsarem, qui Parisios Concilium Galliæ transtulit, testem Iulianum Imp. qui sedem Parisiis fixit, testes & postea Francorum Reges, qui Regni caput Lutetiam constituerunt. Vnde non mirum, si Dionysius quaquauersum fidem sparsurus & conseruaturus,

zianzenam deinde Ecclesiam sub patre suo Gregorio administrauerat: denique in sedem Constantinopolitanam est sublimatus, vbi Clero, populo, Imperatore, & Episcoporum Cõcilio confirmantibus electionem, aliquandiu præfuit. An quisquam eum Constãtinoplis Archiepiscopum appellat? Numquid Nanzianzi, cuius populum aluerat verbo Dei, & instituerat multorum annorum curis? Ita & tu, Lector, philosophare de Dionysio nostro, qui plures annos Athenis, quàm Parisiis versatus est.

§. V.

ET quia de Parisiorum vrbe Aduersario placuit argumentari, hic eâ de re nonnihil breuissimè disseramus. Fatemur quidem tunc temporis, cùm Dionysius in Galliam est

legatus, oppidum tantum, seu castrum non magno ambitu murorum comprehensum fuisse Lutetiam : habuisse tamen ciuitatem & populum non contemnendum, vt ex commentariis Cæsaris apertè constat. Neque porrò nobilitas vrbium pendet ab amplitudine murorum ambientium, sed à liberalioribus populi moribus, & ingenio loci, quem cœli salubritas, vbertas soli, aquarum affluentia, & ad commercia vicinarum gentium opportunitas bearint, quæ quàm liberaliter indulserit natura Lutetiæ, & oculos habemus testes, testem Cæsarem, qui Parisios Concilium Galliæ transtulit, testem Iulianum Imp. qui sedem Parisiis fixit, testes & postea Francorum Reges, qui Regni caput Lutetiam constituerunt. Vnde non mirum, si Dionysius quaquauersum fidem sparsurus & conseruaturus,

hanc sedem tanquam arcem opportunissimam Religionis, elegerit.

§. VI.

LEgant Aduersarij, & relegant acta Dionysij antiquissima, inuenient illum quidem missum fuisse à Clemente, numquam verò Parisios, sed in Galliam, vbi *verbi diuini semina gentibus eroganda susceperat.* Legant Martyrologia Bedæ, Vsuardi, Adonis & Romanum, *directum* fuisse *in Gallias* inuenient, nusquam Legatum Parisios, vt nusquam ordinatum à Clemente, quia nimirum iam ab Apostolo fuerat consecratus. Cuius quidem rei testimonium ab actibus illius citari posset, vbi nihil de ordinatione à Clemente dicitur, sed expressius è Martyrologiis offertur, in quibus primorum fidei Præconum

ordinatio minimè reticetur. Nam in Romano 22. Martij, Paulus Narbonenſis dicitur, *Apud Narbonam relictus, & ibidem Epiſcopali dignitate donatus.* Quod idem Vſuardus docet 12. Decemb. Similiter Trophimus 29. Decemb. *Ab eodem Apoſtolo Epiſcopus ordinatus præfatæ vrbi, &c.* Idem apud Vſuardum eodem die. Sic de Memmio 5. Auguſti, *Cathalauni in Galliâ, S. Memmij ciuis Romani, qui à S. Petro illius ciuitatis Epiſcopus conſecratus, &c.* Sic de ſancto Frontone, 25. Octob. *Qui à S. Petro Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, &c.* Quod ipſum Vſuardus habet eodem die. Sic de Eutropio, 30. Apr. *Quem S. Clemens Pontificalis ordinis gratiâ conſecratum direxit in Galliam.* Quod idem Vſuardus, eodemque die refert. Sic de Taurino 11. Auguſti, *Apud Ebroicenſes in Galliâ, S. Taurini Epiſcopi, qui à B.*

Clemente Papâ illius ciuitatis Episcopus ordinatus, Euangelij prædicatione fidem Christianam propagauit. Dionysius verò tantùm *directus* cur dicitur ab omnibus Martyrologijs, nisi quia iam ordinatus à Paulo credebatur? Itaque & Apostolus Galliæ meritò prædicatur, cui Gallia penè vniuersa tanquam ager colendus, aperta est & commendata; & nihil incommodi facessit opinioni nostræ, Lutetiæ paruitas, cùm & ea nobilior fuerit, quàm Aduersarij dicant, & non illius angustiæ Dionysij labores & gloriam comprehendant: quæ per vniuersam Galliam Germaniamque se se porrexit.

§. VII.

TAndem si ex aliquo scriptore antiquissimo assertas cupis sedium mutationes, & peregrinatio-

nes primo sæculo ab Apostolicis viris, qualis Dionysius noster fuit, vsu receptas, habe, & lege aliquot periodos Antheri, qui ab anno 238. summum Pontificatum sanctissimè gessit, cuius decretum citant Yuo & alij (licet quidam vir doctus recentior, illud reijciat, sed sanè diuinando, &, cum veniâ eius dicam, valdè imbeciliter ratiocinando) ac deinde 31. caput libri 3. Ecclesiasticæ historiæ Eusebij; vt iam Lini, Crescentis, Trophimi, Dionysij, & aliorum eius temporis varia itinera, & Episcopatus mirari desinas, & credas. Ex epistolâ Sancti Antheri Papæ & Martyris: *Quod licet: docent non licere, id est, Episcopos migrare de ciuitate ad ciuitatem prætaxato modo. Et quod non licet: docent licere, id est misericordiam non agere circa patientes necessitatem, hoc est eis qui Episcopum non habent, & sacro Episcopali*

indigent ministerio: Episcopum de aliâ ciuitate causâ vtilitatis vel necessitatis tribui, & Episcopis persecutionem aut necessitatem patientibus, aliam cathedram dari negant. Contradicunt *etiam sacræ scripturæ; quæ testatur, malle Deum misericordiam, quàm sacrificium. Vtrisque autem, id est famem verbi Dei sustinentibus, & Episcopis necessitatem quandam patientibus: quando inthronizantur propter communem vtilitatem in aliis ciuitatibus, non modica exhibetur misericordia. Negantes autem hæc: licet speciem habeant pietatis, virtutem tamen eius abnegant.* Hæc audiant Aduersarij, & nihil dissimulent.

Ex Eusebij vero historiâ; lib. 3. c.31. De Euangelistis, qui eò vsque claruerunt. *Qadratus item, inter eos, qui gloriæ & virtutis splendore ijsdem temporibus præstabant, numeratur: quem ferunt, simul cum Philippi filiabus, dono*

prophetiæ illustratum. Et præter istos alij complures erant, eâdem ætate percelebres, qui quidem & Apostolis proximè successerunt: & tanquam discipuli tantorum & tam insignium virorum eximiâ & diuinâ virtute decorati, Ecclesiarum fundamentis ab Apostolis vbique locorum præclarè iactis, structuram concinnam illam quidem, adiunxerunt: qui & pleniùs cumulatiúsque amplificarunt prædicationem verbi diuini, & salutaria regni cælorum semina fusè latéque per vniuersum Orbem disseminarunt. Etenim plerique omnes discipuli, qui eo tempore vixerunt, ardentiore cælestis sapientiæ studio amoreque incensi, & præ quodam diuini verbi desiderio animis perculsi, præceptum seruatoris anteà traditum exquisitè executi sunt: & his qui opibus indigebant, facultates suas libenter imper[illegible]erunt. Deinde à domiciliis suis peregrè profecti, munus obierunt Euangelistarum, atque ijs, qui ne ad-

huc quidem omninò verbum fidei audiuissent, Christum prædicare, & scripturas sanctorum Euangeliorum tradere omni curâ & cogitatione studuerunt. Qui cum in locis quibusdam peregrinis fidei dumtaxat iecissent fundamenta; Pastoresque alios constituissent, illisque curam eorum, qui ad fidem nuper erant adducti, doctrinâ Christi sedulò excolendorum, commisissent: ipsi ad alias regiones, gentesque cum gratiâ & virtute diuinâ se contulerunt. Quippe virtutes permultæ admirabiles, & miracula sacro-sancti Spiritus ope, per eos ad id vsque temporis gerebantur: ita vt frequens hominum multitudo, ipsa primâ prædicationis auditione persuasa, propenso studio pietatem & cultum, qui Deo omnium rerum opifici soli debetur, animis exciperet, amplecteretúrque.



AD CAPVT VI. DISSERTATIONIS CVIVS EST INSCRIPTIO,

Duos etiam Romæ distinctos olim fuisse Dionysios, nec Areopagitam illum, qui Parisiorum fuit Episcopus, appellatum.

RESPONSIO.

§. I.

SENTENTIAM nostram Ecclesiæ Romanæ testimonio cófirmauimus satis superque. Etenim cùm illa soleat proponere sanctorum historias ab omni non modò falsitate,

ſed, quoad fieri poteſt, etiam ab omni ſuſpicione falſitatis alieniſſimas & caſtigatiſſimas; maximè verò in tremendo Miſſæ ſacrificio; quis, niſi per inſignem temeritatem dicere audeat, vſam illic fabuloſis narratiunculis, & errori ſuffragatam fuiſſe? Certè in Martyrologio apertiſſimè Dionyſium Areopagitam eumdem ipſum eſſe cum Pariſienſi enunciat: narrat in precibus nocturnis diſertiſſimè: & in ipſo myſterio altaris conuerſionem Dionyſij Areopagitæ publicè legit. Quid faciant hîc Aduerſarij? teneri ſe ſentiunt; quò diuertent? tam ridiculè & vanè profectò ſatagunt eludere certiſſimum ictum, vt mirum ſit doctiſſimos, ac ſapientiſſimos alioqui viros, aut non habuiſſe aliud quod reſponderent, aut ſanè quod ipſo ſilentio eſſet inanius, reſpondiſſe. Audiamus. *Si propterea quòd in Dionyſij noſtri*

nostri Missâ, mentio sit Areopagitæ, confundi vtrumque volumus, quid vetat quominùs, quia in Deiparæ Virginis Assumptione euangelium Magdalenæ proprium vsurpatur, eamdem vtramque Mariam fuisse contendamus? Quod si absurdum hoc esse ducimus, intelligimusque Ecclesiam in illo Euangelio aliud nihil spectasse, quàm nominum similitudinem; quis satis cautum putet eum, qui aliud in Dionysi lectione spectasse suspicetur? Quare desinant, si sapiunt, hoc argutiarum genere ludificari. Valde omnino premebatur, qui hoc postico fugam ceperit. Itaque ex eius verbis in festiuitate Dionysij Parisiensis deprompta est ea lectio, quæ Dionysij Areopagitæ conuersionem docet, ob aliquam, & solam modò similitudinem nominis. Vnde hîc tantùm quæstio superest de mente & consilio Ecclesiæ: illudne fuerit quod assignat Aduersarius,

an aliud? Volueritne recitari conuersionem Areopagitæ in festiuitate alterius, propterea quòd vterque Dionysius appellaretur: an quòd ipsa sentiret vnum eumdemque esse Dionysium. At verò de mente & consilio Ecclesiæ & liquidò & certò constat; nam & Martyrologium Romanum & vigiliarum huius diei lectiones, illud proferunt non ambiguè. Quid reponunt? Die festo S. Clementis legitur in Missâ pars Epistolæ, quæ de Clemente mentionem facit: die S. Lucæ, quæ de Lucâ: SS. Mathiæ & Barnabæ, similiter, quæ de iisdem; conueniente interim Martyrologio, & lectionibus nocturnis cum epistolâ. Quid apertius, quid certius, quàm non esse aliter factum, & non aliâ mente, in ipsâ festiuitate Dionysij? Aut si pugnare pergitis, docete, obsecrabo vos, quamobrem die S. Petri

Chrysologi, aut Ioannis Chrysostomi, aut Pauli Eremitarum ducis, nihil de S. Petro Apostolo, nihil de Ioanne Baptistâ, aut Euangelistâ, nihil de Gentium Doctore Paulo legitur, quandoquidem inter eos similitudo nominis pariter intercedit. Comparationem deinde quam affertis, quid est opus refellere? partem illam Euangelij, quæ de Mariâ Magdalenâ est, dicitis vsurpatam esse in festo Assumptionis beatæ Mariæ, ob similitudinem nominum. Quod rei profectò, vel quidpiam simile si proferremus, ne responsione nos aliquâ dignos, sed vel sibilo excipiendos arbitraremini. Illud enim Euangelium legitur ob intelligentiam mysticam; quoniam videlicet & castello Bethaniæ, Virginis vterus repræsentatur, & Maria & Martha, vitæ actiuæ atque contemplatiuæ perfectum exercitium desi-

gnant; quod in Christiparâ Virgine mirificè reluxit. Nam ita SS. Patres intellexerunt.

§. II.

DE Martyrologio verò Romano, ecquod erit iudicium Aduersariorum, ecquæ sententia? (cum illorum veniâ dicam) audent quodlibet; dum quem minimè possunt nodum exoluere, actutùm rumpunt. *Nouitius error est* (inquiunt) & paulo pòst, *Et quod mirum est, cordatis hominibus contra veterum exemplarium fidem, & contra Ecclesiæ Romanæ historiam omnem persuasus error.* Est igitur allucinatus quisquis Martyrologium illud Romanum concinnauit: & cæci doctissimi Romanorum in historiâ Romanâ dicendi sunt: Et parum prudentes, parumque consulti summi-

Pontifices, qui aut leuibus viris (vt quod est minimum, dicam) aut ignorantibus, seu reuera negligentibus & supinis eam curam commissam esse voluerunt. Imò parum hîc veraces (quod nemo facilè dixerit benè Christianus) qui suis literis ad Martyrologium Romanum appositis, testantur fuisse sibi hanc curam, vt idem Martyrologium, *Per viros eruditos ad fidem historiæ, quæ rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur; adhibitis etiam codicibus vetustioribus atque emendatioribus corrigeretur.* Hæc Gregorius XIII. Qui fieri potest, rogo, vt hæc ab homine veraci profecta sint, si non tantùm Martyrologia non emendarit, quæ corrupta erant; sed verò contrà corruperit, quæ nulla emendatione indigebant? Atque admonitum Lectorem è re natâ cupio, omnia nempè

iudicari ab Aduersariis ac reprehendi, non aliter quàm è tribunali supremo, sine vllâ rationis vel authoritatis allegatione, quæ de rebus Ecclesiasticis apud summum Pontificem, velint, nolint, summi ponderis est, eritque semper apud æqua iudicia.

§. III.

QVod autem Romani Antistites Dionysium Parisiensem non appellauerint Areopagitam, id tam nihil obstat, quominùs talis reuera sit, quàm nihil vnquam obstitit Gregorio Magno, si Doctor, si Magnus, si Pretor vrbis minimè semper appellatus est. Sed numquid Gregorius XIII. Areopagitam Dionysium nostrum satis apertè, alijq; multi Pontifices post illum, nuncupauerunt in sacris ritibus ac libris, non tantùm

à se probatis, verùm etiam & probari & recipi iussis? Quis autem omnium Areopagitam negauit? proferant Aduersarij, seu antiquum, seu recentem Pontificem, si quem habent. Si Parisiensis, Areopagita iudicari non debet, quia non sic appellant illum omnes Pontifices: sed neque Atheniensis fuit Areopagita, vt ex ipso Dissertatore facilè probo, affert enim textum Sophronij ad Honorium scribentis, vbi de Dionysio Atheniensi dicit, Διονύσιος ὁ μαθητὴς Παύλου, καὶ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς, καὶ τῶν Ἀθηναίων Ἐπίσκοπος. *Dionysius discipulus Pauli, & Christi Martyr, & Atheniensium Episcopus.* Sed & Martyrologus ipse Vsuardus vbi, ex Aduersarij mente, de Dionysio Areopagitâ 3. Oct. mentionem facit, cum tamen minimè appellat Areopagitam, quod tum præ cæteris authoribus, di-

stinctionis gratiâ, imprimis facere debuisset: sed nec Atheniensem Episcopum vocat, ait enim 5. *Non. Oct. Natale S. Dionysij Episcopi & Martyris, qui post clarißimam confessionem, &c.* Quod eloquentissimus eruditissimusque vir Samblancatus in suo Palladio nuper aduertit. Quamobrem aut Aduersarij cõcedant Vsuardum non esse de Dionysio Areopagitâ locutum, quoniam sic eum non appellauit; aut fateantur sanè nihil esse opus eundem hoc nomine ab authoribus designari.

§. IV.

DEnique diplomate Innocentij III. oppugnari vult nostram sententiam Dissertator, quo tamen maximè fulciri contendimus. In his litteris Innocentius manifestis-

sumè loquitur de duobus Dionysijs, de quibus audierat subortam esse inter aliquos controuersiam, Atheniensi & Corinthio, quos egregios in opere & sermone dicit. (Nam de Dionysio, si quis est, de quo Gregorius Turonensis, nec dubitatio nec controuersia esse poterat.) Confuderat enim aliquando vtrumque Antistitem ipse Beda, quamquam expressè in suo Martyrologio Dionysium à Clemente missum testatus est. Nam in id actorum cap. 17. *In quibus & Dionysius Areopagita*, ita obiter dicere contigit, *Hic est Dionysius, qui pòst Episcopus Corinthiorum gloriosè Ecclesiam rexit.* Quod ex Liberato Diacono sine dubio acceperat: cuius hæc sunt verba, cap. 10. Breuiarij sui, *Dionysij Areopagitæ Corinthiorum Episcopi, & Gregorij mirabilis* θαυματουργοῦ *cognominati.* In quorum opinionem

etiam lapſus Hugo Cardinalis, in cap. 17. Actorum ſic ait, *Areopagita iudex Areopagi, qui poſtea Epiſcopus Corinthiorum benè rexit Eccleſiam.* (Ita ſucceſſiuus error maximè in promptu eſt.) Hæc itaque teſtimonia, vt ex Epiſtolâ Abaïlardi, ad Adamum Abbatem S. Dionyſij, conſtat, dubitationem aliquam mouerant, eſſetne Areopagita Dionyſius idem, qui Corinthius, an verò idem, qui Pariſiẽſis. Innocentius dubium amoturus, quid aliud excogitare habuit, & efficere, quàm eius, qui Corinthi obierat, & vnde dubitatio quorumdam ſubierat animum, dare reliquias? Nemini enim dubium, aut controuerſia vnquam fuit, Atheniſne eſſent, an minimè; nam ſi Athenis (quod nemo, ne per ſomnium quidem cogitauit) repertæ fuiſſent, quis dubitare vel minimùm in re tã clarâ potuiſſet? Miſit

igitur Innocentius reliquias illius Dionysij, qui Corinthiorum Ecclesiam rexerat, vt si Areopagita forsan is esset, vt allegati authores existimauerant, gauderet saltem eius sacratissimo deposito Gallia, cuius doctrinam ac nomen tantoperè amabat. Cùm verò detersâ penitus ambiguitate iam apud omnes pro exploratissimo habeatur, Areopagitam alium esse à Dionysio Corinthio, vt ex ipsiusmet Corinthij & Eusebij clarissimis testimonijs euincitur: id emergit sanè ex ratiocinatione & facto Innocentij, vt vtrumque habeamus omni dubitatione sublatâ; Corinthium quidem, quia dedit: Atheniensem verò, quia accepto eo, quem dabat Pontifex, nos Atheniensem habere pro certo iudicabat: vt & constat aliunde.



AD

CAP. VII. DISSERTATIONIS CVIVS EST INSCRIPTIO,

Quàm absurdis se dictis implicent, qui Dionysium Parisiensem cum Areopagitâ confundunt.

RESPONSIO.

§. I.

OCTOGENARIVM Dionysium venisse in Galliam nec quicquam prohibet, & historiæ docent. Miraris? Octogenario maiorem esse te fama est: considera ex te ipso Dionysium, & robustio-

rem adhuc fuiſſe puta. Titus Cretenſis Epiſcopus, Pauli diſcipulus, propè centenarius viuere deſiit. Symeon Cleophæ, Hieroſolymorum Antiſtes, centum & viginti annorum ſenex ſupplicio crucis ferendo fuit. Dorothæus præſul Antiochenus, totidem, vno minùs, expleuit annos. Cyrus Epiſcopus triginta ſupra centum emenſus eſt. Et apud nos Remigius Remenſis ſeptuaginta annos ſub ipſo Epiſcopatus onere tranſegit. Renobertus denique nonaginta: & anno ætatis ſuæ vigeſimo ſupra centeſimum, vt eſt in actis eius, mortem oppetiit. Quis adeò miratur? Quis Ioannem, quis Polycarpum, quis Photinum, quis Irenæum nonagenariis maiores, laboribus, peregrinationibus, exiliis, martyriis adhuc non impares ſine vllâ dubitatione non legit? Vt nihil Macrobios Luciani có-

memorem: Et Ecclesia suos habet vtilissimos Orbi de fide Christianâ testes, qui diuinâ prouidentiâ ad multum, insolitumque senium sunt conseruati. Quid igitur causæ est, cur octogenario Dionysio negent, quod prouectioribus concedi à se necesse est, nisi omnem conuellunt historiæ antiquæ fidem? Sed commentantur deinde multa de itineribus illius: interrogant, & respondent sibi, certant, & vincunt; litigant, & decernunt; & cum inanibus vmbris nominum, quæ Dionysio nec inaniter tribuuntur, colluctantes, hoc vnum possunt euincere, vt qui Dionysius est, Dionysius vocetur. Esto si aliis placet: nam hic præsertim Dominus du Saussay petitur, cuius peregregiũ opus, quo Galliæ suum Dionysium vindicat, si legissent ij, qui contrà sentiunt, aut accessissent, opinor, ad

veritatem, quam cum illo defendimus; aut tantæ literaturæ & eruditionis virum aggredi formidassent.

§. II.

DE Missione autem à Clemente difficultatem fingit Aduersarius, vbi nulla est, vt iam palàm fecimus. Nulla, inquam, prorsus, Clemente viuentis Petri curas partiente, & pleraque munia, vt omnis antiquitas testatur, exercente. Quamobrem quouis tempore Dionysius mitti potuit siue sub Nerone, siue sub Domitiano, vel Traiano, & à Clemente demandatus in Galliam nullo incommodo haberi. Vnde appareat, quàm infirmis ratiunculis, licet in speciem benè grauibus & validis, Dissertator depugnet, teneatque perpetuò lectorem, quem nisi præci-


puæ vigilantiæ sit, facilè circumscribat. Atque in id incumbens, refutatâ (quod credit) eâ opinione, quæ bis Clementem sedisse docet, & exploso commento de duplici missione Dionysij (quis autem hæc somniauerit, nescimus) ita nos alloquitur, *Vobis, scholæque vestræ nihil mirum sapere omnia, quæ ad condiendam Hilduini fabulam facere videantur.*

§. III.

EO QVÆ Epiphonemate liberè exclamato, ne illudendi sit finis, Synaxarij deridiculum denuo pro se, & contra se allegat; pro se, si detruncatum accipimus; contra se verò, vt pote in quo & ineptum & pugnans reperiri nemo est, qui non videat fabulamentum. Vnde nihilominùs bonæ fidei testimonium depromi

promi velit; imò tale ac tam graue, vt eo solo totius Orientis & Occidentis fidem labefactari posse putet. Sed reuerà frustrà nititur authoritatem eiusce scriptoris astruere, quæ seipsa tam manifestè destruit. Dionysium refert author ille Synaxarij vnà cum suis libris igne consumptum; deinde venisse ad Occidentem, vbi sit obtruncatus. Certè si quis hunc audiendum existimet, æquius erit interpretari Dionysium ignibus ereptum; & positum esse ὁλοκαυτοῦται, pro, sacrificatus est, hoc enim propriè apud Nazianzenum significat; id est, ignibus pro fide cruciatus est, vnde virtute diuinâ euaserit. Quæ si diuinatio est, non explicatio, & eius narrationis author nec totus esse pro nobis potest, quia contraria quædam inuoluit & ἀδύνατα; neque ab omni parte contra nos, vt euidens est;

neutrorum igitur habeatur, & valeat.



AD

CAP. VIII. DISSERTATIONIS

CVIVS EST INSCRIPTIO,

Dionysium Areopagitam non sub Traiano vel Adriano, sed sub Domitiano Martyrium fecisse.

RESPONSIO.

§. I.

NON discedunt à suo more, qui studio impugnant, dum quamlibet allucinationem suam pro argumento ipsâ veritate veriùs haben-

dam credunt. Vnde enim istud? *Methodius Hilduini errore abductus*, quorsum, inquam, istud? facit nimirum, vt Methodio fides abrogetur. At certum est, vt suprà copiosè probauimus, hunc anteà scripsisse, quàm Hilduinus: quo pacto igitur Methodius dicitur ab Hilduino abductus in errorem? Fortè ne ille præsenserit quid hic facturus esset? & scripturus ipse fabulam apud Græcos, de principe illius authore apud Latinos diuinauerit? Sed venio ad grauiora, si quæ sunt fortè.

§. II.

Dissident propè omnes, qui de Dionysij nostri martyrio scripserunt; & siue Græci, siue Latini diem mortis eius non eumdem assignant. Neque verò miramur, si de illius an-

nis & morte plerique illi non consentiunt, cùm neque de Christi, neque de sanctissimæ Virginis Mariæ, neque de Apostolorum ętate & mortis die vna sit authorum sententia. Vehementer porrò vellem acquiescere illius opinioni, quæ mortem Dionysij ad Imperium Domitiani reuocat, nisi me duæ res, & graues illæ quidem, ab eâ prohiberent. Prima est Martyrologiorum authoritas. Neque enim tantùm Bedæ & Adonis testimonio nitimur: habemus & simpliciora, quæ amas; & si ita vis, etiam antiquiora. Audi Martyrologium Notkeri. *Tertio Octobris, Natiuitas S. Dionysij Areopagitæ sub Adriano.* Audi Rosuueydicum. *Quinto nonas. Octobris, Athenis Dionysij Areopagitæ, sub Adriano diuersis tormentis passi, vt Aristides testis est, &c.* Itaque si vetus, Romanum non est, aliquo tamen in nu-

mero est: & cum Bedâ, Adone, & Notkero consentiēs, nullo alio Martyrologio refragante, non parum nos mouet, vt in partes illius transeamus.

§. III.

ALTERA res est, ipsius Dionysij hac in re summa authoritas. Cùm enim seipse liquidò testetur superstitē S. Ignatio fuisse, qui Traiani anno vndecimo martyr occubuit; quî fieri potest, vt imperante Domitiano sit cæsus? & cùm alio in loco ad S. Ioannem in insulâ Pathmo relegatum scribens, prænunciet illi reuersionem ab exilio, ac tum miscenda inuicem colloquia; quo pacto vera hæc essent, si Domitiani tempore, quo Ioannes exulabat, Traiani tantùm principatu reuocandus, Diony-

ſius cruentâ morte glorioſè defunctus eſt? Certè ſi quæ de Dionyſio feruntur ſcripta, Dionyſij ſunt, viuebat ille tempore Traiani; & cum ſub Adriano cęſum eſſe, aut ſub extremum imperium Traiani, (vt author eſt Michaël Sincellus) neceſſariò infertur. Si verò ea ſcripta Dionyſij non ſunt, cuius ergo, niſi περιττολόγου ἀνδρὸς, καὶ περιφήτου δόξαν ἐκμανιωδῶς θηρωμένου; vt in hanc rem ſanctus Maximus inquiebat? Probantur ſcripta Dionyſij Magni à ſanctiſſimis Chryſoſtomo, Anaſtaſio, Gregorio Magno, Damaſceno, Martino, Agathone & Nicolao primo Pontificibus; à Synodis ſextâ & ſeptimâ: à Concilio Lateranenſi, à ſanctis Doctoribus, Maximo, Alberto, Thomâ, Bonauenturâ, & innumeris alijs totius Eccleſiæ Catholicæ primarijs. Non ſunt igitur ſcripta vaniſſimi cuiuſ-

dam capitis, & vaticinantis falsa, quod certè cogitare, temeritate aliquid grauius puto. Et quidquid sit tandem, si prædicti Pontifices, Concilia, Doctores parum in hac re viderunt, malim ego cœcutire cum ipsis (si dici fas est) quàm sapere ἐκμεθόδως cum Erasmo, & similibus. Quæ cùm ita sint, det veniam Dissertator, si placet, quòd ab eius opinione in hac etiam parte, quamlibet securi, tamen inuiti quodammodo discedamus.

§. IV.

HIc verò dum è Martyrologijs nonnullis statui putat sententiam suam, quoniam de Adriano tacent. Illum iterum, vt sæpe, quæso, ex æquitate iudicet; si vult negari fidem ijs nostrarum partium testibus,

qui dicunt apertè, quâ iuris æquitate vult mutis adhiberi? Sed corrupta esse & interpolata obijcit Martyrologia. Diuerticulum est: nihil facilius, quàm ita se se defendere: Sed iuxtà infirmius nihil est, quàm authorum & grauissimorum quidem, passim suppositam gratis obtrudere corruptionem, numquam verò probare. Tandem quia laborem illi facessit Aristides, seu Martyrologiorum authoritas, quâ sub Adriano interfectum Dionysium constat: argumentum, quo tueri se satagit, duabus paginis explicatum, ita contraho. Aristides dicere non potuit, nisi falsò, Dionysium sub Adriano passum esse, inquit; nec fieri potuit, vt diceret; quia nempè sciebat tum temporis, non Dionysium, sed Quadratum successorem Publij Athenarum Ecclesiam regere. Optimè pro nostrâ

sententiâ. Nam in his verbis machina est nostrarum non inualidior, quâ profectò vel vnâ, quidquid Aduersarius opposuit argumentorum hactenus, exturbari quàm facillimè potest. Viuebat adhuc sub Adriano Dionysius, vt Beda, Ado, Notkerus, & Rosuueydi Martyrologia testantur, nulloque alio Martyrologio contradicente; hoc verò tempore Quadratus Athenarum Ecclesiæ præsidebat, qui Publio successerat, Publius Narcisso, Narcissus Dionysio: vbinam gentium Dionysius versabatur interim, nisi in Galliâ, nisi Parisijs totò sui Apostolatus munere defungens? Nisi fortè dicant Athenis eum egisse priuatum, obscurum, ociosum, deposito Pontificatus onere, & Ecclesiæ laborantis curâ neglectâ.

Hîc taceo Dissertatoris artificiũ,

qui vt difficultate refutandi se leuet, rationes obijcit nobis tanquam oppositas nostræ sententiæ, quibus tamen cumprimis ipse refellitur. Et se produnt apertiùs istiusmodi artes totâ Dissertatione Aduersarij sparsæ, quàm vt indigitari necesse sit.



AD

CAP. IX. DISSERTATIONIS

CVIVS EST INSCRIPTIO,

Dionysium Apostolum Parisiorum dici posse, non Gallorum. Sulpitij Seueri resumpta defensio: Et authorum qui ei opponuntur, explanatio. Epilogus Dissertationis.

RESPONSIO.

§. I.

DIONYSIVM Apostolũ appellari cur doleat quibusdam, hoc satis miror, quòd & primis Ecclesię temporibus, & no-

ſtris, Apoſtoli nomen præconibus verbi diuini longè, opinor, inferioribus Dionyſio, liberaliſſimè attributum eſſe non neſciant. In Britanniam penetrarat Euangelij prędicatio Apoſtolorum temporibus: Gregorio tamen, Auguſtino, aliiſque poſterioribus quis Apoſtoli nomen inuidit? Quis Xauerium non Indiarum Apoſtolum appellat, quamquam illò Thomas primùm, & nouiſſimè Luſitanorum cura Chriſti fidem inuexerit? Vt minimùm certè Francię Apoſtoli titulum nemo Dionyſio negandum ſentiet, qui vim nominis Apoſtoli, & primos tanti Præconis labores in aſſerendâ regno Chriſti Franciâ intellexerit. Et quia Franciæ capitalis prouincia regiâ ſede nobilis, appellationem ſuam vniuerſo Gallorum imperio communicauit, vt id vulgò, non Gallia, ſed

Francia dicatur: ipſeque Dionyſius in eâ Regni parte Apoſtolico perfunctus officio eſt. Si non tantùm Franciæ, ſed & Galliæ totius Apoſtolus vocetur, quis meritò ſuccenſeat? imò extra controuerſiam eſt, & eum legatum eſſe ab Italiâ, vt ſalutem Gallorum procuraret, & ab ipſomet multos pariter quaquà demandatos eſſe, qui ſpargerent Euangelij ſementem. Quamobrem ita Ludouicus Pius Imperator, epiſt. ad Hilduinum ſcripta anno 836. quæ inter Concilia antiqua Galliæ locum ſuum habet, ita loquitur. *Quantum muneris atque præſidij, non modò nobis ac prædeceſſoribus, ſeu progenitoribus noſtris, verùm etiam totius imperij noſtri populis, Domini prouidentia per beatiſſimum Dionyſium ſæpè numero, immò continuè, in magnis gratiarum vbertatibus contulerit, cunctæ per tranſacta tempora Galliæ na-*

tiones senserunt, quæ eius insigni APOSTOLATV *fidei rudimenta sumpserunt.* Et S. Ludouicus in diplomate quodam Abbatiæ Sandionysianæ dato, Francorum Legislatorem Dionysium appellat: & Paschasius Radbertus in vitâ SS. Rufini & Valerij illuxisse Dionysium Galliarum finibus memorat, tamquam *Luciferum matutinum.* Atque hæc cùm ita se habeant, quis non videat quàm meritò Dionysius à nobis appellatur Apostolus Galliæ, quam suâ doctrinâ illustratam, suo quoque præsidio hactenus conseruauit? Porrò hæc afferre idcirco volui de Dionysij Apostolatu, vt nihil prætermittere videar, ne illorum quidem quæ refutatione digna non erant.

§. II.

INter quæ numerari meritò possit quæstio de duobus Dionysiis Parisiorum Episcopis, cui caducissimum fulcimentum dedit malè intellecta quædã vox in Chronico Fredegarij, in vitâ S. Eligij, & in historiâ Gregorij Turon. & in libro 1. de miraculis; quibus in locis fit mentio Sepulchri S. Dionysij Parisiis, seu in Parisiensi ciuitate magnâ religione & veneratione habiti. Quæ vno verbo, & iisdem authoribus, vnde nata videtur quæstionis occasio, dissoluimus. Vtinamque nihil inuolutius, salebrosiusque moram faceret historiæ veteri. Nomine Parisiorum, aut etiam Ciuitatis Parisiorum, non ipsamet vrbs, siue oppidum intelligi debet, sed vniuersus populus, vniuersaque

regio, in quâ eædem obseruantur viuendi leges. Cuius rei probationem quæret nemo vel Grammaticus: si tamen quis & Grammaticus & Theologus velit, dabit Cæsar lib. 1. de bello Gallico. *Omnis ciuitas* (inquit) *Heluetia in quatuor pagos diuisa est.* Sed vnde res pateat euidentiùs, proferendus est textus S. Audoeni lib. 1. de vitâ S. Eligij, cap. 32. *Fabricauit etiam Eligius Mausolæum S. Martyris Dionysij in Parisiensi ciuitate: & super illud tectum marmoreum mirifico opere, auro & gemmis ornatum: itemque cristam & species de fronte magnificè composuit.* Et post pauca. *Mortuus est Rex Magnus & inclytus Dagobertus, & sepultus est in eadem S. Dionysij Basilicâ, sub arcu, in latere dextro.* An aliquid expressius haberi posset, quàm & ciuitatem Parisiorum ab eo Authore sumptam esse pro ipsâ regione, siue agro vniuerso

Parisien-

Pariſienſium, & S. Dionyſium, qui Pariſiis habere ſepulchrum diceba-tur, non alium eſſe ab eo, in cuius Ec-cleſiâ Dagobertus Magnus humatus fuit, vti nunc ab iis omnibus probari poteſt, qui oculos habent. Eſt enim ille tumulus regius ſub arcu, à Suge-rio templi reædificatore integer con-ſeruatus. Ac de antiquiore illâ Eccle-ſiâ Pariſienſis ſuburbij cecinit Fortu-natus lib. 1. opuſc. poëmatum cap. 11.

Lõgius hinc olim ſacra cũ delubra fuiſſent,
Et plebs ob ſpatium ſæpe timeret iter.

Sed de hac re tantulâ ſit ſatis.

§. III.

ITerum certè admiratio ſubit, eius immenſæ fiduciæ, quâ videlicet obtento rurſus vmbone Gregoriani & Seueriani dicti, Aduerſarius pro-pelli putat quidquid ex oppoſito ſta-tuatur. Et quidem ſi vel appellare fri-uola & inania, vt facit, quæcumque

proferimus testimonia, esse abundè credit, vt legitimè putentur confutata, facilem reuera, victoriam parat. Sed δίκαιον αὐτοῖς ἀγωνίζεσθαι τοῖς πράγμασιν. Respondet itaque quibusdam partim leuissimè: & fortiora, quod iam monuimus, interim prætermittit; partim diducit ac dissipat argumenta nostra; vt mediocria, quæ turbâ valent, & multitudine, singulariter prolata minore negotio vel debilitet, vel eludat. Quid enim, vt hæc probem, respondit ad authoritatem Clementis Papæ? Paulum venisse dixit ad Occidentis terminos: Aduersarius per terminos Occidentis Romam vult intelligi, nos Hispaniam. Quis non videat quàm impropriè, quam absurdè Roma terminus dicatur Occidentis, præsertim apud extollentem labores Pauli, à quo beatus ille Pontifex asserit mundum vniuer-

sum fuisse lumine fidei collustratum. Prout ex epistolâ ad Rom. cap. 1. constat sane annunciari fidem Romanorum *in vniuerso mundo*, cuius pars non contemnenda Romanis, imò præcipua certè Gallia semper fuit, & tanquam via illorum publica ad Germanias, Britannias, aliasque regiones obeundas: ipsâque Vrbe Massiliam venientibus iter duorum triumue dierum esse solet.

§. IV.

POstea quid Iustino, quid Eusebio respondet? quod aliis. Satis fuit illi si diceret, in cassum allata fuisse à nobis illorum testimonia, quoniã *Aut de Galliâ non loquuntur*, (inquit) *aut si Galliam quoque comprehendant, ad illa tempora spectant, quibus susceptam in Galliâ Christi fidem Seuerus non negat.* At hæc allucinatio non parua meritò videri potest, quâ repentè Iustinum

Dissertator prophetam fecit, ne Sulpitij authoritatem infringeret, si propheta non esset. Iustinus Antonini Pij tempore viuebat, sub annum 140. qui de Religione Christianâ per omnes nationes etiam barbaras peruehendâ, tamquam de re præteritâ Prophetarum more loquens vaticinatur. Et fieri potuit: sed quæ credendi necessitas, rogo? fuerit enim tum Photinus, & claruerit. Sanè cùm sic Iustinus loquitur, nec de vnius Lugduni Ecclesiâ, nec de vnâ Galliæ prouinciâ, sed de toto planè Orbe vult intelligi propagatam Christi Religionem, vt ex illius verbis mox allegandis manifestum est. Deinde ad Tertullianum accedit, quem alio loco Vindiciarum nostrarum appellauimus, & ad Irenæum tandem, quos pro se interpretatur perinde quasi de tempore, quo dictus

Photinus Lugdunensi Galliæ allucebat, locuti sint. Quod quàm alienum sit à veritate, sequenti Epilogo vel ipse illorum textus aperiet. Atque ita finem imponit Dissertationi suæ postquam valere nos, ac tacere grauiter iussit. Indulgebit tamen nonnihil, si placet, & vt paulùm quidem prolixa, sed bona verba hoc postremo responsionis capite faciamus, per eum licebit.



EPILOGVS RESPONSIONIS, vbi proponuntur singulæ obiectiones Dissertationis Aduersariæ, ac dissoluuntur, recapitulatis, quæ superiùs explicatæ sunt rationibus, & quibusdam etiam nouis allatis.

PRIMVM DISSERTATIONIS, Caput obijcit nobis Seueri au-

thoritaté, qui trans Alpes Religionem Dei serò susceptam, & proinde martyria primùm visa sub Aureliano Antonini filio perfunctoriè dicit.

Cui opponitur primò Clemens multò antiquior, qui epistolâ ad Corinthios primâ Paulum ad Occidentis terminos penetrasse testatur. Et Epistolâ primâ ad Iacobum fratrem Domini, Missionem Doctorú in Gallias ipsas apertè docet, vt primâ responsione clarè ostendimus.

Opponitur 2. Iustinus Martyr sub annum 140. clarus, qui grauiter atque asseueranter in Dialogo cum Triphone Iudæo apud Ephesum agens sic loquitur. Ἀλλ' ἔστι τὰ ἔθνη, &c. quæ latinè reddo; *Sunt gentes quædam, vbi nondum vestri generis quisquam habitauit. Atqui ne vnum quidem genus est mortalium siue Barbarorum, siue Græcorum, seu etiam aliorum omnium, quocumque ap-*

pellentur nomine, &c. inter quos per nomen crucifixi Iesu, supplicationes, & gratiarum actiones Patri, & fabricatori omnium non fiant. Cuius authoris ratiocinatio reuera fortissimè concludit, primò, quòd asseuerantiùs dici non possit, per nationes omnes dissseminatam esse fidem. Secundò, quòd aduersus Iudæum nihil colligeretur, si concessâ Iudæorũ dilatatione per omnem propè Orbem, & affirmatâ maiore adhuc diffusione Christianorum, excipienda tamen esset nobilissima Romanorum Prouincia, qualem Galliam fuisse quis neget? Tertiò nititur maximè illa ratiocinatio diuinæ authoritati, apud Marcum quidem, qui cùm Euangelium Romæ scriberet, Galliam nobilissimam partem imperij sine dubio comprehendit his verbis,

Prædicauerunt vbique, c. 16. Apud Paulum verò ad Rom. c. 10. *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum*: quod est argumentum Iustini, vult enim à Iudæis nullam excusationem obtendi posse suæ infidelitati: qui verbum Dei audierunt certè; cùm & ipsæ omnes nationes audierint: secundùm quem sensum S. Thomas in eundem locum ad Rom. ait, *Nulla enim ratio esset auferendi excusationem infidelibus per hoc quod in futurum erant audituri: per hoc tamen non habetur quòd ad singulos homines fama prædicationis Apostolicæ peruenerit, licet peruenerit ad omnes gentes.* Et Chrysostomus, & Eusebius li. 2. Ecclesf. hist. cap. 3. & Theophylactus in eâdem sunt sententia. Quamobrem desinant tergiuersari, qui ad-

uerſantur, & clam effugere qui cum luce congredi non poſſunt.

Opponitur tertiò Euſebius, qui lib. 3. demonſtrationis Euangelicæ, cap. 5. teſtatur Apoſtolos ad Britannicas vſque inſulas Euangelij facem protuliſſe, ὑπὲρ τὸν ὠκεανὸν παρελθεῖν ἐπὶ τὰς καλουμένας βρεττανικὰς νήσους, &c. Theodoretus verò lib. 9. de Græcarum affectionum curatione, Piſcatorem & Sutorem, Petrum & Paulum intelligens, expreſſè docet in Britanniam, omneſque populos Romano imperio ſubiectos Euangelium inuexiſſe. Vnde optimè fulcitur Anglorum traditio de Aduentu Ioſephi ab Arimathæâ, & aliorum Euágelij Præconum primo ſæculo. Quod etiam confirmat Freculphus, cùm ait chron. tom. 2. lib. 2. cap. 4. *Hic* (Philippus) *Gallis prædicat Christum, barbaraſque gentes, vicinaſque tenebris, & tumenti*

Oceano coniunctas ad scientiæ lucem, fideique portum deducit. Quæ sunt verba Isidori lib. de vita & morte sanctorum, cap. 74. Vbi præter Galliam, vides Britanniam tumenti iunctam Oceano fide illustratam ab Apostolo. Et in Græcorum Menologio 15. die Martij, ponitur Aristobulus Episcopus Britanniæ, frater beati Barnabæ Apostoli qui Ecclesiâ institutâ, ibidem Martyrium fecit. Et in diplomate regis Henrici II. Glasconiensi Monasterio, mentio fit Ecclesiæ à discipulis Domini ædificatæ; quod ex priuilegiis multorum retrò principum confirmat, & continetur in hist. Eccles. Harpsfeldij sæculo 1. c. 2. Itaque princeps historiæ Ecclesiasticæ Eusebius, traditio, authores Græci, & Latini Britanniam fuisse lumine fidei illustratam cùm docent, quis non videat, quàm meritò Galliam ab Apo-

stolis non esse omissam intelligimus? quàm immeritò Aduersarij, & sine authore negant?

Opponuntur quartò Hieronymus, Gregorius Magnus, Isidorus, Beda, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Hippolitus, Athanasius, Chrysostomus, Theodoretus, Sophronius, & alij magno numero; qui conceptis verbis Paulum Apostolum perrexisse ad Hispaniam docuerunt: quâ sententiâ confirmatur Martyrologiorum, ac traditionis antiquissimæ authoritas de institutione Crescentis Viennæ, & Pauli Narbonæ ab ipso Apostolo, dum ad Hispanias proficisceretur per Galliam.

Opponitur quintò Trophimus primus Arelatensis Episcopus Pauli discipulus, vt expressè docent Martyrologia, Romanum, Vsuardi, Adonis & Bedæ. Item Ado in Chronico,

& in libello de festiuitatibus Apostolorum: & Zozimus Papa, vt supra fusè ostendimus.

Opponitur sextò Crescens primus Viennensis Episcopus, item Pauli discipulus, ex Martyrologiis concordibus Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Romano: ex multis Romanorum Pontificum rescriptis, quę Ioannes à Bosco publici iuris fecit: ex Eusebio & Sophronio, & ex Adonis Chronico, vt superiùs dictum est.

Item opponitur Zacharias secundus Viennensis Episcopus martyrio coronatus ad annum Christi 100. ex Martyrologiis Bedæ, Vsuardi, Adonis, & Romano, & ex Adone Viennensi in Chronico. Igitur visa martyria sunt, anteaquàm Aduersarij velint.

Item S. Martinus succęssor Zachariæ de quo Martyrologium Roma-

num 1. Iulij, *Viennæ S. Martini Episcopi, Apostolorum discipuli.*

Item S. Verus beati Martini successor, quem Ado confessione fidei floruisse asserit, & qui Martyr occubuit, vt ex epistolâ Pij primi ad Iustum Veri successorem probatur, apud Ioannem à Bosco. *Athalus* (potuit is esse, qui posteà nominatur inter Martyres Lugdunenses, *epistolas Martyrum portans ad nos venit, gaudium nobis ineffabile faciens de triumpho eorum. Qui dixit nobis S. Verum* Collegam *nostrum, victorem de mundi principe triumpasse.* hæc Pius. Neque verò refert quòd in Martyrologio martyr minimè dicatur. cùm nec negetur ibi, & aliundè probetur. Viuebat autem Pius sub Antonino, qui persecutionem quartam excitauit. Vide igitur in Galliis martyria ante persecutionem quintam.

Opponitur septimò Paulus Apostoli Pauli discipulus, ex Martyrologiis Bedæ, Vsuardi, Adonis & Romano, tam communi, quàm Rosuueydiano; & ex libello Adonis de festiuitatibus Apostolorum, & Orderico Vitali, & alijs.

Opponitur octauò Lucæ prædicatio in Galliâ, ex Epiphanio, qui asseueranter id docet, hæresi 51. vbi cùm dixisset annunciatum ab ipso Lucâ Dei verbum in Galliâ & Italiâ, addidit, ἀρχῇ δὲ ἐν τῇ Γαλλίᾳ, hoc est, *Imprimis vero in Galliâ.* Ac tum Crescentem idem prædicandi munus obijsse in Galliâ disertè memorat.

Opponitur nonò Eutropius ex Gregorio Turonensi, & Martytologijs Vsuardi, Bedæ, Adonis & Romano; in quibus à beato Clemente ordinatus Episcopus, & missus in Galliam, vbi martyr occubuit, vna-

nimi consensione dicitur. Ergo visa martyria in Galliâ ante persecutionem Marci Aurelij.

Opponitur decimò Vrsinus ex ipsomet Gregorio Turonensi, qui lib. de gloriâ Confessorum cap. 8. *Bituriga* (inquit) *Vrbs primùm à S. Vrsino, qui à discipulis Apostolorum Episcopus ordinatus, in Gallias destinatus est, verbum salutis accipit:* Quod cum Martyrologio Bituricensi, Breuiario, Missali & manuscriptis antiquis concordat, vbi à S. Clemente missus expressè dicitur, & in Roberti Antissiodorensis Chronico, aliisque permultis pariter legitur.

Opponitur vndecimò Clemens Metensis à Petro missus, ex Paulo Diacono, & tabulis eius Ecclesiæ, quę catalogum Episcoporum suorum quamintegerrimũ repræsentat, item ex Roberto Antissiodorensi

in Chronico, & aliis.

Opponitur duodecimò Caraunus Carnotensis, de quo Martyrologium Romanum, *Quinto Kalend. Iunij, Carnoti in Galliâ, S. Carauni Martyris, qui sub Domitiano Imperatore, capite amputato, Martyrium sumpsit* Martyria igitur maturiùs visa, quàm Aduersariis placet.

Opponitur 13. Memmius Episc. Catalaunensis, qui Petri discipulus dicitur in Martyrologio Romano, Rabani, & Notkeri, Augusti 5. & in Chronico Roberti Altissiodorensis.

Opponitur 14. Fronto Ep. Petragoricensis, qui cum Georgio Presbytero missus ab eodem B. Petro dicitur in Martyrologio Romano & Adonis, 25. Octobris, & in dicti Roberti Chronico.

Opponitur 15. Eucharius Ep. Treuirensis, qui Petri quoque discipulus dicitur

dicitur in Martyrologio Romano 8. Decemb. Missus autem fuit cum Valerio & Materno ex supradicto Chronologo Altiss. & ex tabulis Ecclesiæ Treuirensis, quæ catalogum integerrimum Episcoporũ suorũ exhibent.

Opponuntur 16. Sabinianus & Potentianus etiam Petri discipuli & Martyres, ex Bedæ Martyrologio 31. Decemb. & Roberti Altissiodorensis Chronico. Non igitur tam serò martyria.

Opponuntur 17. Agoardus & Aglibertus ad vicum Christolium propè Parisios, cum maximâ populi multitudine Martyres sub Nerone ipso, vt referunt Acta illorum, & Roberti Chronicum, quo sustinentur ea quæ de Sauiniano & Potentiano probata sũt. Ergo Martyres primo illo sęculo.

Opponitur 18. Sixtus Episc. Rhemensis Petri discipulus & Martyr sub

M

Nerone, ex Martyrologio Romano 1. Septembris, ex Fulcone Archiepisc. Rhemensi apud Flodoardum in historiâ Episcoporum Rhemensium, ex Chronico sæpe dicti Roberti & alijs. Non igitur expectata quinta persecutio, vt Martyrum purpura Galliam illustraret.

Opponitur 19. Iulianus Cœnomanensis Episcopus, qui similiter Petri discipulus dicitur in Martyrologio Romano, 27. Ianuarij, & in Chronico Roberti, & ex communi traditione, quam Lethaldus Monachus, qui vitam eius conscripsit primus impugnauit, & Iulianum cum multis alijs non à Petro, neque à Clemente, sed à Sixto missum esse docuit; eamque doctrinam communi traditioni refragantem hac ratiocinatione confirmat, *Iulianus erat Dionysij socius, Dionysius verò ex Gregorio Turonensi*

sub Decio tantùm Parisios legatus fuit; tum sic instruit totam societatem bellus ille historicus, vt Photinum Lugdunensem, & Cœnomanensem Iulianum cum alijs, quos Gregorius Turonensis adiungit Saturnino, annumeret: Irenæo, Eusebio, vniuersa antiquitate refragantibus: an hoc refutatu dignum? maneat igitur Martyrologio Romano, Chronico Altiss. & veteri traditioni sua authoritas, nisi Photinum aliquem secundum Lugdunensem somniare aduersarijs placet, ne Lethadi hallucinatio suum authorem risui exponat.

Opponitur 20. Taurinus Episc. Ebroicensis, quem ex Romano Martyrologio 11. Augusti, Orderico Vitali & alijs, Clemens in Galliam cum B. Dionysio delegauit.

Opponitur 21. Nicasius Episcopus Rothomagensis qui ex Marty-

rologio Romano 11. Octobris sub Præside Fescennino, sub quo & Dionysius cæsus est, vnâ cum Quirino & alijs (& fortè Quirinus hic occasionem dedit errori, quo Nicasius & Dionysius, à quibusdam Quintini socij crediti sint) hunc autem Nicasium Ordericus Vitalis, & alij socium Dionysij faciunt post tabulas Rhotomagensis Ecclesiæ.

Opponitur 22. Ionas siue potiùs Ionius B. Dionysij socius, ex Martyrologio Romano 22. Sept. & ex Actis eius, vbi gladio cæsus sub Iuliano Præfecto apud pagum Castrensem, in Diœcesi Parisiensi, docetur.

Opponuntur 23. Nazarius & Celsus, qui sub Nerone Gallias lustrarunt, vnde canebat Ennodius de ipso Nazario,

Nerone felix principe
Diuersa perpessus mala,

Lustrauit Orbem non graui
Pauore cordis algidus.

Hi auté, vt in actis illorũ legitur, Treuirim euntes sequiẽte Neronis persecutione, deiiciũtur in mare, vnde liberati diuinitus, post varias peregrinationes martyrio coronati sunt. Sæuijt igitur Neronis crudelitas etiam trás Alpes.

Opponuntur 24. earum Ecclesiarum tabulæ, quæ catalogum suorum Antistitum ab Apostolicis temporibus plenum atque integrum, repræsentant, vt sunt istæ, Viennensis in qua primus Trophimus à Petro missus 2. Zacharias: Deinde Martinus, Verus, Iustus, Dionysius seu Desiderius, Parocodus, Florentius, Lupicinus, Simplicidius, Paschasius, Nectarius 14. Nicetius, quem interfuisse Concilio Valentinensi 375. Baronius notauit. Metensis, in quâ 1. Clemens à Petro missus. Deinde Cœlestius,

Fœlix, Patiens, Victor, Victor secundus, Simeon, Sambatius, Ruffus, Adelphius, Froninus, Leguntius 13. Auctor, qui Concilio Agripinensi interfuit anno 346. Treuirensis, in quâ 1. Eucharius 2. Valerius, 3. Maternus Petri discipuli. Deinde Auspicius, Celsus, Felix, Mansuetus, Clemens, Moyses, Martinus, Anastasius, Andræas; Rusticus, Auctor, Fabricius, Cassianus, Marcus, Auitus, Marcellus, Metropolius, Seuerianus, Florentius, Martinus, Maximinus, Valentius, Mauritius, 27 Agritius, siue Agripinus in Concilio 1. Arelatensi, anno 314. obiit 345 & successorem habuit S. Maximinum, qui circa annum 346. S. Athanasium perhumaniter excepit: & interfuit Concilio Agripinensi. Moguntinensis, in quâ 1. Crescens discipulus S. Pauli, Deinde Martinus, Crescentius, Cyria-

cus, Hilarius, Martinus secundus, Cellsus, Lucius, Gothardus, Sophronius, Herigerus, Ruterus, Auitus, Ignatius, Dionysius, Rutbertus Adelardus, Lucius 19. Maximus in Synodo Agripinensi, anno 346. & obijt anno 375. Ita Carnotenses, Anicienses, Redonenses, Trecorenses, Bellouacenses, integrum exhibentes catalogum suorum Antistitum, antiquitatem suam firmissimâ traditione demonstrant.

Iam quis verbulum quoddam Sulpitij, & elapsum potiùs ab dicente aliud, quàm cogitatè dictum, cum grauissimis illis authoritatibus, ac tam multis, iisque pro magnâ parte antiquioribus comparare, nisi ridendus planè audeat? quis, & maturam fidei auditionem, & Martyrum triumphos in Galliâ non facillimè, imò non necessariò fateatur? Nisi qui

perinſigniter quorumcumque iudicia virorum contemnat, ſui vnius amans atq; obſequens; aut qui nunquam perſuaderi decreuerit? Nam *perſuaderi quid aliquis poſſit inuito?* inquit Pacianus epiſt. 1. ad Sympron.



SECVNDVM DISSERTATIONIS CAPVT

PVGNAT authoritate Gregorij Turonenſis lib 1. hiſtoriæ Francorum cap. 30.

Refellimus authoritatem illam primò oſtendendo vitioſam eſſe hiſtoriam, vnde ille ſumpſit, Saturninum, Gatianum, Trophimum, Paulum, Dionyſium, Strèmonium & Martialem ſub Decio & Grato Conſulibus miſſos fuiſſe in Galliam. Et certè ſi

vel in vno Episcopo veram non esse constat narrationem, nihil erit, cur in reliquis impetrare fidem mereatur, errore nimirum deprehenso non in aliquâ circũstantiâ, sed in ipsâ rei narratæ substantiâ. Quid igitur, si penè in omnibus erronea sit? At verò eâ fide, ac certitudine testimoniorum, quâ maiorem in historiâ nemo obtineat, ostendimus Paulum Narbonensem creatum Episcopum ab Apostolis, Trophimum ab Apostolo Paulo, Martialem à Petro, contrà quàm Gregorius dicat. Et sanè literæ Cypriani ad Stephanum Papam ita perspicuè manifestant antiquitatem Arelatensis Ecclesiæ, vt quamquàm illarum authoritas sit à nobis allata, ne attingere quidem eam sit ausus, qui nobis aduersatur. Hæc autem Epistola vulgata etiam habetur in antiquissimo Codice manuscripto bi-

bliothecæ Corbeiensis. Ad hæc, de Saturnino aliud memorari testatur ipse Gregorius, missum videlicet ab Apostolorum discipulis. Et verò in antiquissimis actis Dionysij eiusdem Corbeiensis Bibliothecæ confirmatur hæc veritas; ex quibus vniuersis quid aliud elicitur, quàm testimoniũ præfatæ historiæ de quatuor Episcopis falsitatis conuicium, de reliquis tribus nihil certi continere, neque esse dignum, cui fides habeatur.

Refellimus secundò Gregorianam historiam Irenæi authoritate, qui mentionem facit Ecclesiarum in Celtis, Germaniâ & Hispaniâ institutarum. Irenæus autem circa annum 186. Ecclesiam Lugdunensem administrabat. Dicunt, vt effugiant Aduersarij, Irenæum non alias laudasse Ecclesias, *quàm quas vel ipse nuper, vel eius decessor Photinus Lug-*

duni viciniſque in locis Seuero teſte, fundauerat. Ita Diſſertator. Vbinam verò teſtatur Seuerus Eccleſias à Photino, vel Irenæo vicinis Lugduno locis eſſe fundatas? eam rem ſanè inauditam probare debuerat, & locum authoris ſi fieri potuiſſet, notare. At quod non eſt, ſciri non poteſt. Seuerum legimus, & neque ſcriptum ab eo aliquid eiuſmodi, neque aliud, vnde colligi poſſet, ne veſtigio quidem deprehendimus. Loquebatur porrò Irenæus de traditionibus Eccleſiarum, prout ex toto contextu patet, non autem Lugdunenſis vnius, ſed plurium, inter Gallias, Germanias, & Hiſpanias continuò ab Apoſtolis, eorumue Diſcipulis, vt particulatim vidimus, erectarum. Sic enim ſcribit, lib. 1. cap. 2. *Eccleſia enim per vniuerſum orbem vſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & à diſcipulis eorum acce-*

pit eam fidem, quæ est in vnum Deum, patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram, &c. Et seq. cap. *Hanc prædicationem, cùm acceperit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, Ecclesia, & quidem in vniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi vnam domum inhabitans, & similiter credit iis, videlicet quasi vnam animam habens, & vnum cor, & consonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quasi vnum possidens os. Nam & si in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæ quæ in* Germaniâ *sunt fundatæ* Ecclesiæ, *aliter credunt, aut aliter tradunt: neque hæ quæ in Hiberis sunt, neque hæ quæ in* Celtis, *neque hæ quæ in* Oriente; *neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libyâ, neq; hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed sicut sol creatura Dei in vniuerso mundo vnus & idem est, sic & lumen, & prædicatio veritatis,*

vbique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire: hæc Irenæus. Vnde apparet & vetus Ecclesiarum traditio, & fidei per Germaniam, Hispaniam, Galliamque susceptio iam inde ab Apostolis.

Atque hoc testimonium Irænei Tertullianus non parum fulsit, cùm circa 200. annum, 50. annis antea quàm venissent ij septem Episcopi; iuxta Gregorium, diuersas Galliarum nationes Christianam religionem amplexas docet, lib. contra Iudæos cap. 7. I*n quem alium vniuersæ gentes crediderunt* (inquit intelligentissimus ille author) *nisi in Christum, qui iam venit? Cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui inhabitāt Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam Cappadociam, & incolentes Pontum & Asiam & Pamphiliam, immorantes Ægyptum, & regionem Aphricæ, quæ est*

trans Cyrenem inhabitantes, Romani & incolæ, tunc & in Ierusalem Iudæi, & cæteræ gentes, vt iam Getulorum varietates & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, & GALLIARVM DIVERSÆ NATIONES, & Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita, (hic iterũ notent Religionem non tantùm prędicatam, verùm etiam susceptam dici) *& Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare non possumus?* Hæc Tertullianus.

Quod si diuersæ nationes Galliarũ fidem receperunt Pontifice Romano Christi Domini regnum procurante, quis adeò tardus, qui non statim Narbonem Martium, non Arelatem aliasque primarias Gallorum vrbes

cogitet, quibus pietas & fides Romana prospexerit? Maximè cùm eam curam Apostolorum, atque Apostolicorum virorum fuisse manifestum sit, vt ad principes vrbes, & capita nationum contenderent, trophæum Religionis nostræ tanquam summis arcibus victæ infidelitatis depacturi: prout ex Paulo Diacono in responsione ad cap 1. probatum est. Et manifestè dictum legitur à Clemente, epist. 1 ad Iacobum fratrem Domini: *In illis Ciuitatibus, in quibus apud Ethnicos Archiflamines eorum, atque primi legis doctores erant, Episcoporum Primates poni, vel patriarchas ordinauit* (inquit) & paulò post prohibuisse Petrũ dicit, ne Episcopi, in villis instituerentur, ne vilescerent. Vnde clarum est maiori quadam curâ principibus nationum vrbibus fuisse consultum. Denique absurdissimam videtur ne-

cessariò admittere amplectique opinionem qui dixerit, ad extrema Orbis Scythiam, Britanniam, Indiam delatum esse fidei lumen, & minimè ad portas Italiæ, ad alteram penè Italiam, ad clarissimas Galliarum vrbes.

Refellimus tertiò tam Gregorij, quàm Sulpitij sententiam Orosij textu, non eo tantùm, quem 1. cap. attulimus, Vbi persecutionem Neronianam fuisse per omnes Imperij Romani prouincias inflammatam expressè docet: sed aliis pluribus. Et quidem libro 7. vbi de templo Ierosolymitano loquitur, cap. 9. *Ecclesiâ Dei iam per totum Orbem vberrimè germinante*, hoc (templum scilicet) *tanquam effætum & vacuum, nullique vsui bono commodum, arbitrio Dei auferendum fuit.* Et cùm c. 10. de Domitiano agit imperii administrationem capiente: *Ad hoc paulatim* (ait) *per omnes scelerum gradus creuit,*

creuit, vt CONFIRMATISSIMAM TOTO ORBE ECCLESIAM, *datis vbiq; crudelißimæ persecutionis edictis, conuellere auderet.* Denique de quintâ persecutione sic loquitur, cap. 15. *Persecutiones Christianorum, quartâ post Neronem vice, in Asiâ & in Galliâ graues, præcepto eius extiterunt* (Marci Aurelij nimirum) *multique Sanctorum martyrio coronati sunt.* Hic itaque cum Orosius Galliam cum Asiâ iungat, & in Asiâ singulæ persecutiones detonuerint, quid sequitur euidentius, quàm & in Galliâ easdem singulas paribus flagrasse incendiis?



TERTIVM CAPVT

OBstrepit nobis traditione totius Ecclesiæ Gallicanæ, quam

ex Martyrologijs probari contendit. Sed

Refutamus id primò negando vllam esse traditionem Galliæ de duobus Dionysijs quam neque in aliquo Scriptore, neque in vllius Dionysij actis, aut vllis vllius Ecclesiæ tabulis, sed nec in Martyrologijs ostendere vnquam potuerũt Aduersarij. Quare aut inuisibilem aliquam Gallicanam Ecclesiam probent, vnde hæc nunquam visa, nunquam audita depromi fingunt argumenta, aut aliquid afferant quod videri possit, solidius, & ad fidem faciendam efficacius, quàm vana eiusmodi verba.

Refutamus secundò explicando commodissimè Martyrologia nonnulla, quæ bis de Dionysio Parisiensi, seu Atheniensi mentionem faciunt: & neque appositionem loci Athenarum, neque vocem Natalis, neque

aliam vllam circumstantiam officere nobis, magnâ exemplorum copiâ luculentissimè comprobando.

Refutamus tertiò ex antiquissimis Martyrologijs, siue publicatis, vt est Ephemeris Bedæ, vt Rabani, vt Romanum: siue ex plurimis antiquis manuscriptis, quorum textum attulimus, vbi vnius tantùm Dionysij mentio reperitur. Quod Vsuardus ipse aduertens, cùm omnes Dionysios alióśque sanctos appositione locorum, in quibus mortem oppetiuêre, distinxisset, Dionysium Areopagitam nullâ loci mentione factâ signauit, ne illum à Parisiensi distinguere voluisse videretur, vt fusè ostendimus.


Refutamus quartò ex ijsdem Bedæ, Rabani & Romano, multisque manuscriptis Martyrologijs, item ex ijs, quibus vtitur Ecclesia Antissiodoren-

ſis, & pariter Ambianenſis, & S. Ioannis Ambianenſis Monaſterium, & Eccleſia Auguſtodunenſis ipſo vno Aduerſariorum referéte, vbi expreſſè à Clemente miſſus Dionyſius dicitur.

Refutamus quintò ex alijs, nempe Notkeri, Adonis, Roſuueydi, & ipſius Bedæ Martyrologiis, vbi docetur paſſum eſſe ſub Adriano Dionyſium; ex quo neceſſarium ſit inferri, eum, non Athenis fidei certamen conſummaſſe, vbi tum Quadratus tertius, ſiue quartus Athenarum Epiſcopus præſidebat.

Refutamus ſextò manifeſtiſſimâ authoritate Epiſcoporum Galliæ, qui ante Hilduinum ſcribentes diſertè docuerunt, traditione antiquiſſimâ retineri, demandatum fuiſſe Dionyſium à Pontifice Clemente in Galliam. Nam ad quos pertinere potuit cognitio traditionum Eccleſiæ Gal-

licanæ, nisi ad Episcopos Galliæ? hesterni, & priuati reclament hîc toto capite, clamorem audire Gallia poterit, non dedoceri.



QVARTVM CAPVT

NOuam Hilduini & Sectatorum eius, opinionem explodit. Quod, vt facilè faciat, authoritatem eius inter fabularum narratores indignè abiicit.

Respondemus 1. postulari falsitatis & imposturæ Hilduinum, & ab accusatore ipso damnari; tametsi nulla possit eius falsitas, fraus nulla, aut deprehendi, aut probari. Ita de Hincmaro, de Anastasio, de Paschasio, de Æneâ, viris, quicquid Aduersarij iudicent, clarissimis, non ex æquitate

iudicatum esse relinquitur.

Respondetur 2. cùm Hilduini & Sectatorum eius, exploditur opinio, explodi pariter Ecclesiæ Romanæ opinionem, manifestissimè, vt ostendimus, pro Hilduino stantem, quàm verò id modestum sit, alij arbitrentur.


Respondemus 3. si noua fuit opinio Hilduini, tum explodendam fuisse, cùm erat noua: nunc autem cùm inueterauit octo sęculorum diuturnitate, absurdè & perperam nouitatis inuri notâ.

Respondemus 4. scripsisse Hilduinũ quæ sequuntur, ad Ludouicũ Imperatorem. *Quam epistolam* (scilicet Aristarchi qui, vt prædictum fuit, profectum Romam Dionysium, subrogato Episcopo Athenarum Ecclesiæ narrabat) *vestræ dominationi dirigimus; & quisque studiosus apud nos*

præualet inuenire, &c. Hæc autem scribi ad Imperatorem & Pium & eruditum minimè potuerunt, nisi pius esse desierit; imò nisi cœperit videri & esse omnium hominum leuissimus; & reuerà profanus, qui de excudendâ imposturâ & fabulâ cum Hilduino conspirauerit, conspirasse quippe necesse est, si nihil tale Hilduinus exhibuit, quale ipse memorat & scribit ad se dissimulantem. In quarum plusquàm leuitatum suspicionem nondum, opinor, venit neque imposterum veniet apud amicos æquitatis & modestiæ vir tantus, ac tam clarus piusque Imperator.

Respondemus 5. scripsisse Methodium ante Hilduinum, vt probauimus, Sincellum, Metaphrastem eodem sæculo, & eamdem de Dionysio veritatem testatos esse, ex traditione & monimentis veterum: non

igitur ex Hilduino. Sed nec in multis consentiunt (licet in præcipuis, nulla sit eorum discrepantia) quod signum est, ne scripta quidem legisse Hilduini, aut alia certè vidisse, quæ sequerentur antiquiora. Denique & docti fuerunt, & Sancti, Doctorum, Sanctorumque post Ecclesiam iudicio.



QVINTVM CAPVT

LAbefactare nititur assertionem nostram, ex eo quod Dionysius non sit in eorum catalogo apud Socratem, qui sedem mutauerunt.


Reponimus primò, integrum & accuratum non fuisse catalogum, vt ex benè multis, qui translati ab vnâ sede in aliam, nec à Socrate sunt recensiti, fecimus exploratum.

Reponimus 2. ex eodem Socrate, pro indifferenti quondam fuisse, An-

tistitem de vnâ sede in aliam transire, quoties expedire videbatur.

Reponimus 3. ex authoritate Eusebij, moris fuisse virorum Apostolicorum, qualis erat Dionysius, longè peregrinari, & subinde mutare sedes, quo verbi diuini fructus vberior in vniuersam Ecclesiam redundaret.

Reponimus 4. Dionysium propriè sedem non mutauisse, sed primam reliquisse more Apostolico, quod ex Actis illius, & Martyrologijs certò constare ostendimus: Vnde mirum videri non debeat, si non est repositus in eorum numero, qui de suâ sede in aliam commigrarint.



SEXTVM CAPVT

PErsuadere quoad potest, contendit etiam Romæ distinctos

olim fuisse Dionysios, ex eo quòd Parisiensem summus Pontifex Areopagitam non appellarit.

Sed primò dicimus id argumenti quod est de nomine, & merè negatiuum, esse iuxtà vanissimum. Dionysius suo semper nomine vocatus est; neque aliâ nuncupatione vnquam opus fuit.

Deinde rationem dedimus, cur Atheniensis Episcopus appellaretur, nempe quoniam ab Apostolo Paulo Episcopus Atheniensis creatus esset; & Athenis diutiùs, quàm Parisijs sedisset; & opera sua ipse Græcus Atticâ linguâ condidisset. Quod exemplo vel ab Dissertatore allato, Gregorij Naziãzeni probauimus, & Vsuardi textu, in quo neque Areopagita neque Athenarum Antistes appellatur. Postea verò aliunde Pontifices Romani manifestissimè sunt à nostris

partibus, vt ex Martyrologijs probatur, & officijs diuinis à se propositis Ecclesiæ vniuersæ, vsuque receptis antiquissimo.

Denique cur Ecclesia vniuersa iam olim de Dionysio Parisiensi Officium celebrari voluit, non autem de Gatiano, de Austremonio, de Photino, & aliis? an propter Parisiorum vrbem principem? At neque Parisij tum erant eius amplitudinis & dignitatis: & Lugdunum, Vienna, Martius Narbo, multęque aliæ vrbes Lutetiam anteibant: & nihil ad Germanos, Hispanos, Britannos ipsa Lutetia pertinet. An propter vtilitatem prædicationis? at Photinus, Irenæus, Martialis Euangelii præcones, & nobiliores & vtiliores credi possunt, si Dionysius Parisiorum tantùm Apostolus est. Sanè nihil superest, nisi Romanam Ecclesiam noluisse præ-

termittere hunc tantum Magni Apostoli discipulum, cui proinde assignauit idem Officium, quod Tito & Timotheo Episc. & Martyribus. Neque verò miram illam argutiam moramur Aduersariorum, qui Litaniarũ multarum ordinem nobis opponũt, in quo Dionysius post Laurentium scriptus, inuocatur. Non enim fuit eorum qui Litanias composuerunt adeò accurata diligentia, vt ad Chronologicam rationem omnes Sanctos exactè reponerent. Probari vis, tu qui ad Litanias tam multas, ac non sine tædio recitandas præis? Nunquid Laurentium ipsum Leuitam Fabiano Papæ & martyri præmissum legis? Tamen Fabianus in persecutione Decij, Laurentius verò postea in persecutione Valleriani & Gallieni passus est. Nunquid Martinus Episc. anteit Nicolaum Episc. in iisdem lita-

niis? Tamen antiquiorem Nicolaum minimè ignoras. Aut igitur mitte hoc tuum argumentum è litaniis, aut nostro ex iisdem responde, si potes.



SEPTIMVM CAPVT

ABsurdis se dictis implicare, qui Dionysium Parisiensem cum Atheniensi confundunt, probare nititur ab ipsius ætate Dionysij, peregrinatione, appellatione, missione à Clemente, & Synaxario Græcorum.

Ostendimus primò, nullam ex illius ætate aut peregrinatione absurditatem conijci: quod non paucorum exemplis statuimus.

Ostendimus 2. nihil aduersus sententiam nostram nomina emoliri.

Ostendimus 3. potuisse mitti à

Clemente, & ſub Domitiano nihilominùs victorem coronari; quamquàm ſub extremum Traiani tempus aut primū Adriani, cæſum probamus.

Oſtendimus 4. vel Synaxarium Græcorum eam continere abſurditatem, vt nullâ ratione debeat admitti: vel ſi caſtigetur ex Menologio, tum fauere totum ſententiæ noſtræ, aduerſæ refragari.




OCTAVVM CAPVT

Dionyſium ſub Domitiano cæſum dicit ex multorum authorum ſententiâ.

Inſtamus contrà primò, ex vetuſtis Martyrologijs Bedæ, Notkeri, Adonis & Roſuueydi.

Inſtamus 2. ex ipſo Dionyſio cui

diuinissima scripta, & mille testibus, atque authoritatibus grauiora sanè, abiudicanda essent, & pro falsis & mendacibus habenda (quod soli propemodùm hæretici oppidò volunt) nisi eminentissimus hic Doctor Ioannem Apostolum ab exilio reuersum affatus est ; non rediit autem Ioannes, nisi sublato è viuis Domitiano. Hoc tandem caput, etsi pro Dissertante fortiter concluderet, esse tamen noster Dionysius Areopagita nullo argumento desineret.



NONVM, QVOD POSTREMVM CAPVT

PArtim cum nominibus luctatur, & sudat in vmbris, ne Dionysius videlicet Gallorum dicatur

Apostolus, ne legatione functus per-honorificâ. Deinde Sulpitio iterum allegato, eludit, quà potest, omnem authoritatem, quam illi opponimus.

Sed primò, titulum Apostoli asserimus nostro Dionysio, & ratione & authoritate.

Tum demùm aut nihil, aut absurdè responsum esse authoribus à nobis appellatis, manifestissimè ostẽdimus. Quod & liquidius apparet ex initio istius Epilogi, cui finem impono, verbis Augustini ad Pascentium, sed sensu etiam meo.

Da veniam, si quid liberiùs dixi, non ad contumeliam tuam, sed ad defensionem (veritatis) *præsumpsi enim de grauitate & prudentiâ tuâ; quia potes considerare, quantam mihi respondendi necessitatem imposueris: aut si hæc non rectè feci, & huic da veniam.*

FINIS.



